# CRIMINALIVM IVRIVM CIVITATIS GENVENSIS LIBRI DVO.

Cum additione plurium Decretorum.

*Et Priuilegio.*




GENVAE,
Apud Christophorum Bellonum, Ant. F.
DVCALEM TYPOGRAPHVM.
MDLXXIII.



mo
# ILLVSTRISS. DVCI
## MAGNIFICISQVE GVBERNATORIB. AC PROCVRATORIBVS.

Nicolaus Iacob. F. Gentilis Senarega Ireconſultus. Stephanus Ang. F. Cattanus. Petrus Ioannes B. F. Cibo Clauica.



VRIS prudentiam Illuſtriſsime Princeps: Patresq́ue Clariſsimi diuinarum: humanarumq́ue rerum omnium cùm præſtantiſsimam: tum inter cæteras arteis: quas mortalium genus hactenus coluit: antiquiſsimam eſſe; ſapientes tradiderunt. Et quidem: ſi antiquitas quæritur: hæc vetuſtate cæteras adeò antecellit: vt néqua prorſus occurrat antiquior. Hæc enim eſt illa: quæ in ipſo rerum primordio priuſquàm de cæteris artibus: & diſciplinis ne cogitatio quidem inter homines eſſet: illos adhuc rudeis; palantes: paſsimq́ue in agris diſperſos: ac in tectis ſylueſtribus abditos ratione quadam in vnum locum compulit: & congregauit. Hæc item illa; quæ in vnamquanque rem vtilem: & honeſtam eos inducens: primò propter inſolentiam reclamantes: deindè propter rationem. & orationem ſtudioſius audientes: ex immanibus mites reddidit: & manſuetos. Rurſus illa: quæ vrbibus conſtitutis: vbi fidem colere: ac inſtitutum retinere homines didiciſſent: & alijs parere ſua ſponte conſueuiſſent: tranquillitate dein ocioq; ciuili per leges alias pulchrè conſtitutis: firmatiſq́uè: tum demum ad artium: cæterarumq́ue rerum pulcherrimarum inquiſitionem accingi docuit. Sin præſtantia attenditur: nonne hæc vniuerſas parteis Philoſophiæ: ſingulas quaſquè de more apum obeundo: quæ ex omni florum genere ſuauiſsimos decerpunt: ita perſtringit: vt ne vllam quidem: quam non attigerit: præteriſſe videatur? Cùm igitur Philoſo-

phia animæ ſit conſummatio; animæ autem duplex vis habeatur: appetendi vna: altera cognoſcendi: planè quemadmodum eius: quæ in ſola rerum cōtemplatione & æſtimatione verſatur: finis eſt veritas: ita quoquè alterius appetitum perficientis finis eſt virtus: quæ intellectu ſordibus defœcato circa negocia: & actiones tota conſtituitur. E quo genere ciuilem diſciplinam primam eſſe; præter rationem autoritas quoquè liquidò confirmat: quando Ariſtoteles æthicen ſolam: tanquam vniuerſalem totius huiuſce generis præceptorum diſputationem: pro more Peripateticæ doctrinæ primo loco ſtatuens: reliquis partibus omnibus politicen antepoſuit. Sed quid multa? quaſi verò nunc id agamus: vt tantùm portio: & nō potius totius moralis Philoſophiæ perfectio & conſummatio ciuilis prudentia ſit. Quæ enim: hac exploſa: eſſe poteſt vlla ex parte rectè ſtabilita Oeconomiæ ratio? Nam cùm rei familiaris (vt rectè idem Ariſtoteles tradit) partes primæ ſint homo: & poſſeſsio: quorum alterum ad victū pertinet; alterum ad liberos: nonne ijs legibus: quibus de nuptijs & ſucceſsionibus tractatur: ita ordine & ratione hæc affatim ſunt conſtituta: vt vel partem non exiguam occupent iuris ciuilis? Ad componendos quoquè animi mores: qui vnus totius moralis Philoſophiæ finis eſt præcipuus: non parùm præſtat legum autoritas. Nam cùm Philoſophia ſolis exemplis: & admiratione pulchri: quæ nequè omnes audiunt: nec ſi audiāt: ijs capiuntur; mortaleis ad virtutem alliciat: hæc bonis præmia tribuens: malis item pœnas ſtatuens: bonos confirmat: malos verò coercens: ne bonorum ſtudia; & ſocietatem ſua queant improbitate turbare: ad reſipiſcendum inuitat. Accedunt in præcipiendo elegantes formulæ: ac regulæ maxime illuſtres: vnicuique generi plurimum accommodatæ. Et primum quidem ad Iuſtitiam adipiſcendam magnum habet momentum: dum ſublato more hominem barbarico: & planè ferino: per quem potentiſsimus quiſquè quàmplurimum poteſt; ſibi inuicem cedere hominem: & ſuum amare quemquè ordinem: æqualitatemque ſeruare planè geometricam docet: abſterrens nos ab auaritia: turpique poſsidendi libidine: quando non ſolùm alienis abſtinendum: ſed & noſtris

nostris rectè: ac liberaliter vtendum iubet. Proficit hæc item admodum ad temperantiam: & continentiam: docemur enim ea: voluptatum genera varia: quæ vel maxime mortales appetunt: vitare: libidines domitas habere: cupiditatem coercere: & consilio regere; quò fida societate socijs iuncti: quæ copijs: ac opibus ferre vix possumus: ea mansuetudine: & continetia nostra: sociorum fidelitate tueamur. Exsuscitat etiam ad fortitudinem animos; & maiores aduersus metum mortis facit: ijs præsertim: qui ciuilem societatem non in hominum numero: sed in animorum coniunctione nouerint cōsistere: & ex multis vnum veluti corpus effici: tandiu superfuturum: quàm nexus ille animorum durauerit: ac societas: & is: qui eam seruarit: se ipsum quoquè (quando illius corporis pars sit vnusquisque) seruasse existimauerit. Sic enim fiet: néquis huius amans dubitet mortem prius oppetere: quam perpeti quidpiam calamitatis illi contingere. Prudentiam verò ita complectitur: vt vel sola eam perficiat. Si quidem ad eas res hæc facultas tota versatur: quæ sub nostram consultationem cadunt: quales in actionibus consistunt: cuiusmodi sunt negocia: cæteraquè id genus: quorum perfectio: & consummatio profectò ciuilis negociatio est. Et quod vel maximè omnium censetur optimum: id genus est vtilitatis: quòd nostram in Deum obseruantiam: & pietatem haud vulgariter promouet: & auget huius disciplinæ studium: dum per ipsum: in tranquillam constitutionem redactis vrbibus & prouincijs locum habet omnis bona institutio cùm cæterarum disciplinarum: tùm diuinæ quoque Philosophiæ: vox cuius: non perin de belli tempore: ac pacis audiri solet. Ac primò quidem sic nata: deinde longius pr. gressa ciuilis prudentia: postremò sic omnibus in rebus pacis: belliqùe summo cum bonorum omnium ap plausu: & vtilitate versata est: atque aucta: donec eam in molem excreuerit legum vis. vt rationem aliquam nouam postulare videretur, Quod cum à vobis (quæ vestra est prudentia) Pa tres conscripti animaduersum esset: & compertum abhinc tribus: & quadraginta annis supra centum (tot enim effluxerunt: ex quo Damianus Pallauicinus: Ianotus Lumelinus: Nicolaus

Tomas

Tomas Squarciaficus: Vbertus Spinola: Antonius Sergianus Nicolaus Saulius: Ioannes Pinus: Iacobus Picus Senatuſconſulto ad id muneris delecti; leges Ciuitatis pro temporis conditione in meliorem formam redegerunt) nihil: quod ad reparationem ſpectet; actum fuiſſe: Neceſſariumque admodum videretur litibus dirimendis: quæ ex nouis: ac varijs negociorum generibus emerſerunt: tanto tranſacto tempore, tot mutatis rebus: nouis legibus ſubſidium ferre. Quòd quæ prius in ſpeciem: dum ſancirentur: æqua videbantur: ea: poſtmodum vſus comprobarit: non ſatis commodè fieri poſſe. Atque illis ſublatis alia eſſent ſubroganda. Nonnulla item alijs quibuſdam modis inter ſe differentibus ad artem vniuerſam admittenda. Ne diutius hoc protraheretur: DEI OPT. MAX. munere exactis tyrannis: ſedatis partibus: concordia ciuium ciuitate coaleſcente: placuit publica autoritate: tres conſtitui viros: qui leges ciuitatis recognoſcerent: ius commune ſcrutarentur: Iura moreſque ciuitatum Italiæ explorarent: atque ex ijs: & patrijs conſuetudinibus nouas leges conderent; & ſcriberent. Cumque id munus nobis decreto Senatus eſſet demandatum: Nos exploratis moribus exteris; legibuſque diſcuſsis omnibus: antiquata priſcorum imperfectione: quod bonum, fauſtum, felix Reip. ſit, vobiſque, & ciuibus omnibus: criminalia iura: quibus vel maximè ciuitas laborabat: hæc primum ſcripſimus: quæ nunc vobis legenda proponimus: Iuri quidem communi magna ex parte conformia, ac noſtris conſuetudinibus propriora. In quibus: quantùm trium hominum ingenijs prouideri potuit; omnibus ſummis: infimiſque Iura æquauimus. Plus pollent tamen multorum ingenia, conſiliaque; & amplius vident oculi, quam oculus. Proinde, verſate animis vnamquamque rem, & inter vos deinde agitate ſermonibus, atque in medium: quid in quaque plus, minusvé ſit, conferte. Si quid enim emendari, ſuppleri, minuivé opus erit: id à nobis perindè ac ſtatuetur: æquo animo fiet. Accipite igitur Patres Optimi lucubrationum noſtrarum: demandatique nobis muneris primitias: Reliquum, quod ſub incude eſt: propediem accepturi. Genuæ anno Seſquimileſimo, Quinquaſimo ſexto, Quinto decimo Calend. Septembris.

## PRIVILEGII SVMMA.



ENATVS Genuensis Priuilegio vetitum est ne quis preter Christophorum Bellonum Ant.F. hoc opus Iurium Criminalium Genuæ excudat, néve alibi excussum vendat in ditione Genuensi publicationis librorum omnium decemque scutorum auri illi qui aduersus horum quidpiam fecerit multa indicta.



*ERSARVM Regis non pluréis arcula gemmas*
*Clusit, quam varias hoc breue cludit opus.*
*Lex datur hoc cunctis, sua quenque & facta sequuntur,*
*Dantur Iura bonis, & sua iura malis.*
*Principibus fortuna solet concedere Regna,*
*Sed non, qua fuerint lege regenda, docet.*
*Supra fortunam est sanctissima pagina legum,*
*Quæ bene regnandi pandit ad astra viam.*
*Hoc opus ergo omnes discant Iuuenesq́, Senesq́,*
*Quiq́ domi cupiunt viuere, quiq́ foris.*
*Discant, nam frugi est, & diuite maxima culmo*
*Cuiusque implebit horrea culta seges.*

## Aliud.

*Cedite furta, doli, cædes, incendia, rixæ,*
*Pœna manet, nulli spes sit in ære suo.*

## Ad librum, vt exeat.



*XI iam liber, ocyus recede,*
*Terris iura daturus, Oppidisq́,*
*A Macra ad Monichum: iugumq́, & vltra,*
*Clara quæ vrbs Ligurum regit potenti*
*Sceptro, ac Iudicijs, pijsq́ iussis.*
*Prodi audentius omnibus libellis,*
*Quos olim ediderit sagax Senatus,*
*Eius auspicijs, ope, & fauore,*
*Sospite Imperio ipse & vsque sospes,*
*Terris iura daturus, Oppidisq́.*

# CRIMINALIVM
## LIBER PRIMVS.
## DE MODO PROCEDENDI.

### De iuriſdictione, & arbitrio Prętoris, ac Iudicum in Criminalibus.
### Cap. I.



RBIS Genuę Prętor, maleficiorumq; Iudex cognoſcendi de omnibus criminibus, & delictis publicis, ac priuatis, ordinarijs, & extraordinarijs, quę in vrbe Genua, & in tribus Prętorijs curijs, Biſanienſi, Porciferana, & Vulturenſi, quas vulgus Poteſtatias appellat, dicerentur commiſſa, poteſtatem habeant, ſiue per accuſationem agatur, ſiue per inquiſitionem, ſiue ex officio, nulla pręeunte denuntiatione, aut alio quouis modo. Itidem quicunque alius Magiſtratus, ac Iudex tàm in vrbe Genua, quàm in ditione Genuenſi, ad quos de criminibus, aut de aliquo eorum pertinet cognoſcere, vel iuriſdictio eſt demandata. Et eorum quilibet citatis reis, atque, ſi opus erit, in carcerem truſis: ius dicat plectendo quos inuenerit ſontes: quemadmodum ad eorum iuriſdictionem pertinebit, & noſtris legibus cautum erit. Habeantque in his omnibus, & ab eis dependentibus, & connexis plenum arbitrium: ſtatutorum tamen forma ſemper ſeruata, & ſalua, aduerſus quam nihil à quoquam attentari, nec iniuſtè grauari quiſpiam queat. Omnibus autem diebus tàm Prætor, quàm cæteri Magiſtratus ſuas curias adeant, inibique ius reddant à mane vſque ad horam tertiam, & rurſus ab hora nona vſque ad verſperum. Adſiſtatque ſedulò ſcriba Magiſtratui: quem ſortitus fuerit, acta curiæ coram eo perſcripturus: niſi quid intercedat adeò graue, quò minus ipſe, vel Magiſtratus, aut neuter eorum iure adeſſe poſsit, exceptis diebus

Dominicis, Natiuitatis Domini, & duobus sequentibus, Ascensionis, Pentecostes, & duobus sequentibus, Solemnitate Corporis Christi, Festiuitatibus Natiuitatis, Annunciationis, Purificationis, & Assumptionis Beatæ Virginis, ac Natiuitatis Diui Ioannis Baptistæ, Apostolorumque omnium, & Euangelistarum: in quibus tamen fas sit accusationes, & denunciationes porrigere, ac iudici ex officio inquirere, & ad inquisitiones procedere: alijsque in casibus omnibus agere: quemadmodum vel vrgens necessitas exegerit, vel admissi facinoris atrocitas postulauerit.

## De denuntiationibus à Rectoribus villarum, & locorum faciendis. Cap. II.



Omnia delicta, quæ in Bisaniensi, Porciferano, & Vulturensi territorijs committentur: qualiacunque sint: Rectores locorum nota faciant suo Prætori intra biduũ à cõmisso delicto. Apud acta verò vrbicæ Prætoriæ curiæ: ea dũtaxat nota faciant intra idem tempus: propter quæ vel capite, vel corpore, aut exilio quis plectendus foret: bona fide, & citra fraudem, delicti tempus, & locum exprimendo, itémque delinquentis, & offensi nomen & cognomen, ac testium, qui adfuerint, vel scierint, aliasq; circumstantias omnes: quas de ijs acceperint. Cæteris autem in locis Rectoribus sit satis: suis Magistratibus intra dies tres denunciasse. Qui contrafecerit, in quodcunque delictum, quod notum non fecerit: si propter id, qui deliquit, pecunia damnandus erat: libras tres Magistratui soluat: sin corpore plectendus, fisco det quindecim, vsque ad quinquaginta, nisi causam attulerit, quare arbitratu Magistratus iure veniat excusandus. In denuntiationibus verò Genuæ faciendis quicquid impendetur: id Rectoribus locorum incolæ repræsentent.

De

## De notificationibus à Chirurgis faciendis. Cap. III.


Vlnerarij medici, seu (vt Græcè) chirurgi, & quicunque agens chirurgiam, omnes saucios, vel percussos, quibus medebuntur, siue mas, siue fœmina fuerit, curiæ Prætoris, vel Magistratuū apud acta denuncient, si de die, intra noctis horā primam, sin de nocte, mane sequenti intra horas duas, postquam illuxerit: item quot vulneribus adfecti, & quo genere teli percussi fuerint, ac quo nomine vnusquisque eorū vocetur. Ad hæc nuncient, an ex percussione, vel vulnere sauciatus, vel percussus graue periculum vitæ adierit, an minimum, an nullum. Qui non denunciauerit, det fisco scuta quinque vsque ad decem arbitratu Magistratus intra octo dies. Ni dederit, coerceatur donec dederit, alioqui Magistratus præstet de suo. Hoc autem duntaxat in vrbe Genua, & suburbijs seruandum censemus.

## De visitationibus faciendis. Cap. IIII.


Imulac Prætor, vel eius curia, aut maleficiorum iudex acceperit quempiā percussum fuisse, vel vulnere adfectum: confestim hunc coràm iubeat accersiri, nisi ex percussione, vel vulnere laboraret, aut eius esset conditionis, vt minus commodè, vel non sine rubore eū posset adire. Tunc autē, si graue periculum vitæ eum adijsse acceperint, visant eum maleficiorum Iudex, fiscique Aduocatus, & Notarius, nec præter hos, alius quisquā hoc facere queat. Sin minimum, vel nullum: Iudex id munus iubeat vel Aduocatus, alter eorum cum Notario, vel subscriba Notarij, si Notarius, quò minus interesse posset, distineretur, vel Notarius tantum, arbitratu Prætoris, vbi Iudex, & Aduocatus adeò essent impediti, vt neuter eorum posset adesse. Quisquis autem horum isto fungetur munere, accuratè sauciatum, vel percussum interro

get, causamque percusſionis ab eo exquirat penitus, & qui ſint, qui eum percuſſere, vel quos habeat ſuſpectos, ſi nullum certũ dixerit ſe habere. Scrutetur etiã percusſionis, vel vulneris qualitatem, & modum. Itidem de loco, & tempore veſtiget diligenter. Et ſi dicere recuſauerit, vel tergiuerſans diſsimulauerit prodere veritatem, pœna ſcutorũ quinque auri vſque ad centum arbitratu Iudicis & Aduocati fiſcalis ad dicendum coarctetur. Si verò homicidium cõmiſſum fuerit, viſat cadauer, & homicidij locũ, percunctando vicinos, notos, propinquos, familiaras, aliosque quoſcunque, quos, dum facinus cõmitteretur, acceperit adfuiſſe, de nomine, cognomine, & qualitatibus occiſi, necnon de homicidij loco, & qualitate, & qui ſint, qui occiderunt, opemque tulerunt. Et hęc omnia maleficiorum ſcriba in libro viſitationũ perſcribat. Teſtes verò, qui huiuſcemodi facinoribus adfuerint, ſi iureiurando adacti, ea, quę viderint, diſsimulantes fateri, dixerint ſe neſcire, coerceantur ad dicendum, quemadmodum capite, de cogendis teſtibus hoc in volumine criminalium continetur.

Quoties verò Iudici, fiſcique Aduocato, ac Notario, & curiæ Prætoris ad percuſſum, vel ſauciatum eius interrogandi gratia, vel cadaueris recognoſcendi cauſa, accedere intra vrbem contigerit, toties habeant pro informationibus capiendis, & recognitione cadaueris, ac bonorum adnotatione ſolidos triginta nouem, ſcilicet Iudex quindecim, Aduocatus totidem, & Notarius nouẽ. Intra verò ſuburbia, videlicet à ponte rupto Genuam vſque, tota planitie hortorum biſannis cõprehenſa, & à capite phari, atque Caſtellacij Genuã vſque, ſolidos quinquaginta duos, ſcilicet Iudex viginti, Aduocatus totidẽ, & Notarius duodecim. Extra vrbem autẽ, & vltra loca memorata, habeant libras nouẽ, & ſolidos quatuor, ſcilicet Iudex libras tres, & ſolidos duodecim, Aduocatus totidẽ, & Notarius libras duas. Et ſi pręter hos, mandato Iudicis, vel Aduocati ad hęc ſatelles fuerit accerſitus, quem hodie Baricellum dicunt, accedat ipſe etiam, & habeat pro viſitatione intra vrbem ſolidos ſex, intra ſuburbia octo, & extra vrbẽ triginta. Suppeditenturque his omnibus etiã ſumptus equorũ

conducto-

conductorum,ac victus. Omnes autẽ hos sumptus soluat,qui de crimine culpatus fuerit ab offenso, aut ille, aduersus quem erunt indicia,saltem ad inquirendum, sufficientia. Et si nullus,qui deliquerit,inuentus fuerit,vel inuentus qui possideat, & visitatio facta sit intra vrbem, soluãt Magnifici Procuratores, prius tamen facta bonorum culpati excussione,sin extra vrbem, soluant Rector villæ,& homines Rectoriæ, in quorũ territorio delictũ fuerit perpetratũ,habeantq; regressum contra culpatũ,& ad eius bona. Vbi verò delictum sola numaria pœna luendum foret, tẽpore visitationis tantum bonorũ culpati sequestro tradantur, quantũ his sumptibus,& condemnationi faciendę sufficiat. Quòd si alia esset irroganda, tradantur omnia, donec sit definitè pronunciatum,nisi culpatus de his omnibus idoneè interea cauerit.

## Intra quę tempora accusationes, denunciationes, & inquisitiones possunt institui. Cap. V.



Vlla accusatio,vel denunciatio,aut inquisitio conuicij,vel maleficij, aut delicti in vrbe Genua, aut districtu commissi,de qua,vel struatur processus, vel condemnatio subsequatur: propter quã reus conuicij pecunia sit damnandus, possit fieri, nec à curia recipi, nisi intra decem dies à delicto cõmisso fuerit porrecta. Aliorum vero delictorum, propter quæ nũmaria pœna est irroganda, eę duntaxat admittantur, quę intra triginta dies mox sequentes porrectæ fuerint,ijs demptis,in quibus quilibet de populo ad accusandum à iure admittitur, quibus anni tẽpus censeatur statutum. Maleficijs autem clàm cõmissis,aut ijs, quorum reus ignoratur,nullum tempus prætereat, quanuis de delicto fama foret publica,sed tunc incipiat,cum scitur, qui deliquit, dum trienniũ non excedat à die delicti. In cæteris vero, propter quæ ex forma statutorũ,vel iuris cõis quis corpore plectendus erit, ad accusandum,denunciandum, & inquirendum seruentur tempora à iure communi disposita.

De malefactoribus persequendis. Cap. VI.



NSectetur Prætor, & quilibet ius dicentium, ad quos de criminibus pertinet cognoscere, delinquentes omnes, & vrgeant, donec capiant, captos in carcerem trudant, & in eos animaduertentes decernant, quemadmodum nostris legibus cautum fuerit. Et si de delicto cognoscendo, & delinquente iudicando ad vnum aliquem eorum non pertinebit, is, in cuius potestate tunc erit delinquens, hunc ad iudicem competētem remittat, sed non extra Genuensem iurisdictionem, nisi de Illustrissimi Senatus mandato, idque tum duntaxat, cum pœna erit corpori irroganda, nam si pecunia damnandus foret, satis sit eum idoneè cauere de se præsentando dicto competenti, saltē intra dies quindecim, & postquam cauerit, dimittatur. Iudex vero huic competenti apud acta eius curiæ remissionem, & cautionem præstitā scripto denunciet intra dictū tempus. Ni fecerit, pœna quartæ partis sui salarij, siue exacti, siue nondum exacti mulctetur. Omnes autem cuiuscunque ordinis omnibus officialibus, satellitibus, ac quibuscunque ministris ad hosce homines capiendos opē ferant, nec quisquam audeat eis, quo minus id muneris exequantur, obstare, vel aduersari, aut eos modo aliquo impedire. Qui contra fecerit, pœna statuti mulctetur, capite de pœna eripientis captū ob maleficium, & impedientis executiones criminales.

De officio scribę ad maleficia. Cap. VII.



Ondat Prętoris scriba ad maleficia scribenda electus septem libros chartę bombacinę, seu papyri membrana coopertos, bene compactos, & compositos, in quorum vno scribantur accusationes, quę de maleficijs commissis proferuntur, & processus qui de eis struuntur. In altero notificationes, & denuntiationes, quę de eis etiam porriguntur. In alio inquisitiones, quę

ex

ex officio Prętoris,vel Iudicis,aut curię fiunt. In alio visitationes faciendę. In alio examen extraordinarium. In alio iudiciarij processus progressio. Et in alio attestationes, ac testiũ dicta pro reo, & contra reum proferenda. Scribat autem hęc dicta testium vulgari sermone,protinus, fideliter, & accuratè absque lituris, sicut dicentis ab ore animo testificandi proferuntur. Et si quę, in substantialibus locis inciderint, fidem faciat notarius de verbis delictis. Visitationes factas scribat,& extendat. Acta omnium causarum diligenter conficiat. Examinibus eorum intersit,eaque perscribat,nec horum quicquàm prius palam faciat,quàm processus fuerit publicatus,& de publicatione in actis causæ constiterit. Adsistat etiam sedulus ad prędicta omnia semper magistratui, & pręsto sit, quandocunque ab eo fuerit requisitus. Sententias quoque,& condemnationes scribat, atque edicta in dãnatos exilij;eaque omnia,saltem intra triduum,postquam lata fuerint,redigat in formam publicam, & intra alios quindecim, postquam in rem iudicatam transierint, scribę,& custodi librorum condemnationum,& edictorum tradat. Prętori vero,ac Iudici maleficiorũ visitationes, & denunciationes ipso die, quo factę fuerint, denuncietur. Ni fecerit,quinque & viginti libris mulctetur.

## De inquisitionibus formandis. Cap. VIII.



Rætor,maleficiorumq́ue Iudex, & quisque ius dicens,quorum interest de criminibus cognoscere, inquirant de quocunque maleficio, siue id fuerit curię denunciatum, siue de eo aliunde acceptum, & contra eum, qui deliquit,agant, nisi lapsa sint tempora,de quibus cautum est capite, intra quę tempora accusationes,& denuntiationes, ac inquisitiones possunt institui, vel ex forma alicuius statuti secus esset constitutum. Inquisitio verò,vel processus inchoetur intra dies quindecim,ab eo, quo maleficium curiæ fuerit denunciatum, aut de ipso quomodocunque acceptũ, vel ab eo saltem die, quo reus criminis in potestatem curiæ reda-

ctus

ctus fuerit. Et decidatur causa intra tempora statuta capite: intra quæ tempora causæ criminales debeant terminari. Iudex autem ad instruendam inquisitionem, quos volet, testes recipiat, & quos ad eam coadiuuandam, vel ad processum causæ fouendum offensus proferet; vel eius hæres, aut alius, cui de offensione accusare licebit, vel accusationi adesse. Item alios, quos accusatus, vel inquisitus se Iudici coràm sistens, & ad mandata eius constituens voluerit proferre, aut eius procurator, si causa erit eiusmodi: in qua ex forma statutorũ nostrorum procurator admittatur, sicut in §· admittat etiam testes, capite de modo procedendi cõtra non contumaces, fusius continetur. Omnesque iurare debeant super tota causa, & examinari modis, & formis, vt dicitur capite, de testibus, qui vocantur ad testimonium, examinandis in volumine præcedenti causarum ciuilium.

Quòd denuncians, vel accusans caueat. Cap. IX.



SI. quis maleficij vel delicti, aut criminis accusatus fuerit, vel eius nomen ad magistratum delatum, is, qui accusauit, vel detulit, & alius, quicunque fuerit, qui accusationi, quatenus à iure permittitur, adesse voluerit, satisdet apud actuariũ curiæ magistratus de impensis accusato, vel delato reficiendis, vbi ea ex iure non procederet, aut ipsi non probauerint, vel destiterint, aut renunciauerint, vel litem prosecuti non fuerint: & amplius de soluendo quicquid damni ei propterea obueniret à solidis decem vsque ad libras decem Genuensis monetæ in vnũquenque diem, quo detentus erit in carcere, arbitratu Prætoris, seu iudicis curiæ pro conditione personæ, & qualitate delicti, cuius accusatus, vel delatus fuerit, ac detentus. Alioqui, accusatio, vel delatio ipso iure sit nulla, & quicquid ex ea prouenerit, etiam irritum. Accusatus verò, vel delatus liberetur, si detentus erit: Ad huiusmodi tamen cautionẽ præstandam non sit obligatus qui ex iniuncto officio tenetur deferre: præterquam si insontem fraudulenter deferendo,

rendo,cũ fecisset reum. Tunc teneatur, & conuictus puniatur. Iudex verò causæ,eum,qui accusauit,& alterũ,qui detulit, itemq; alium,qui adesse voluerit,eorumq; fideiussores insolidum,& vnũ quenquè eorum intra octo dies ab absolutione, vel obseruatione iudicij mox sequentes cõpellat, & in rem, & in personam agens quibuscunque remedijs oportunis coerceat ad restituendum sum ptus accusato,vel delato,quos iuramento adactus (cui, præmissa æstimatione à Iudice facienda, fidem haberi volumus) dixerit se fecisse. Necnon & quicquid damni à solidis decem vsque ad decem libras (vt dictum fuit) passus fuerit ex eo die, quo fuit accusatus,vel delatus,ac detentus, omnibus iuris & facti exceptione, & oppositione reiectis. Si secus fecerit,mulctetur quinque & viginti libris: & quamuis elapsum fuerit tempus statutũ, hæc omnia,quæ dicta sunt,præstet. Ni præstiterit,soluat de suo.

## De modo procedendi contra accusatos vel inquisitos contumaces. Cap. X.



SI maior annis viginti maleficij, vel criminis accusatus, aut inquisitus fuerit, vel nomen eius ad Magistratũ delatum: Iudex scripto, vel verbo (vt sibi videbitur) per apparitorẽ reum coràm citari faciat, si cõmodè poterit inueniri; sin minus ad domũ eius solitæ habitationis, si ciuis Genuensis erit, vel incola, aut habitans in vrbe Genua, vel suburbijs, aut districtu. Alioqui eum per Prçconẽ admoneat alta, & intelligibili voce in locis vrbis con suetis, vt intra tres vsque ad octo dies arbitratu Iudicis statuẽdos corã se cõpareat: responsurus quicquid voluerit ad ea, quæ sibi obijciuntur. Quòd si, nec sic cõparuerit, rursus modo iam dicto citetur, pœna confessi & conuicti criminis iniuncta, vt intra aliũ terminum statuendum, neque breuiorẽ dierũ quindecim, neque laxiorem triginta cõpareat ad dicendum, & opponendum in om nibus, vt prçfati sumus. Et si cõparuerit, admittatur ad defensiones. Nec obstet quò minus fiat, quia sit contumax. Et procedatur

datur in causa: queādmodum dicetur sequēti capite. Si verò nec sic vocatus etiam comparuerit, habeatur, ac si sponte delictum: eiusque qualitates confessus, déque eis conuictus fuisset. Et admonitus coràm, vel ad domū, aut per prçconē modo dicto ad audiendum sententiā ferendam (si cōparuerit) admittatur queādmodum prçfati sumus. Sin minus, proferatur, & eorū omnium condemnetur, quorū accusatus, delatusque fuerit, & inquisitus. Sed si Iudex sententiā intra prçfixum tēpus non tulerit (quod omnino facere teneatur, sicuti capite: intra quç tēpora causç criminosç debeant terminari continetur) non proferat: donec reum ad eam audiendum rursus modo dicto euocauerit. Et si reus cōparuerit etiā (vt iam dictum est) admittatur. Alioqui proferatur. Isque Iudex deinde, vel eius successor intra dies quindecim mox post lationem sequentes eam per prçconē enunciet, apponendo nomen damnati & cognomen: itemque delicti, ac pœnam, si exilij mulctandus, vel corpore plectendus erit: Nam si pecunia mulctandus: satis sit eam ad subsellia curię promulgari. Si verò intra quindecim dies post enunciationem mox sequentes cōparuerit, vel alio quouis modo in Iudicis venerit potestatem, admittatur, & procedatur, contumacia non obstante. Alioqui sententia remaneat firma, & valida, atque ipse condemnatus: déque eo crimine ipso iure exul factus: cuius fuerat condemnatus: & tanquam exul in exulum libro scribatur. Actuarius autem processum, & sententiam, atque edictum exilij extendat, & in publicam formam redactum Archiui Notario, & librorum causarum criminalium custodi intra dies quindecim tradat: si in vrbe Genua, vel in tribus prętorijs curijs fuerit pronunciatum, sin alibi in locis ditionis Genuensis, intra triginta: Damnatus verò, & exul factus: si dehinc in cuiuspiam ius dicentis in vrbe Genua, vel districtu potestatem venerit: trudatur in carcerem, & ad eum Iudicem remittatur, qui de causa cognouit, si tunc tēpore Genuę ius dicet, sin minus ad successorem. Isque exequatur sententiam: nulla prorsus admissa exceptione.

De

## De modo procedendi contra non contumaces. Cap. XI.



Ccuſatus maleficij, vel criminis, aut delatus, vel inquiſitus, qui euocatus coram Magiſtratu; ſe defenſurus comparuerit, aut alio quocunque modo in Magiſtratus venerit poteſtatem, accuſationi, vel inquiſitioni aduerſus ſe factæ reſpondeat ſpeciatim, & ſeparatim, ac diſtinctè, & apertè. Nec quicquam exceptionis ab eo prius opponi queat, aut oppoſitum à iudice poſsit admitti, quàm ſic (vt dictum eſt) reſponderit, ſiue exceptio dilatoria foret, ſiue declinatoria, ſiue peremptoria, vel quæcunque alia. Sed ſi quid horum ei competit, id totum, poſtquàm reſponderit, ſit ſaluum, & integrum, eoq; tunc ad opponendum, & probandum vti poſsit: dum dilatorias omnes intra triduum poſt reſponſionem opponat. Et ſi eius maleficij: cuius arguitur, corpore plectendus foret, ſeruetur in carcere, ſin pecunia mulctandus, aliavé pœna nihil ad corpus attinente, caueat idoneè apud actuarium cauſæ de ſtando iuri, & iudicatum ſoluendo, ac de ſe toties præſentando, quoties mandato Magiſtratus fuerit requiſitus. Et ſi cauerit liberetur: alioqui non dimittatur, donec ſoluerit, vel abſolutus fuerit. Verùm, ſi in reſponſione ad primam interrogationem ea, vel eorũ partem apud Prætorem, vel Magiſtratum profeſſus fuerit: quæ in accuſatione, vel inquiſitione continentur: nec dum pacem cũ offenſo vel hæredibus habuerit, dimittatur ei ex forma ſtatuti quarta pars pœnæ ob delictũ contractæ: & ſi pacem habuerit, dimidiũ. Magiſtratus autem reſponſione à reo accepta, ei (ſi petierit) exemplaris ſumendi cum accuſationis, tum inquiſitionis, ac indiciorum: eorúmque omnium, quæ ipſe reſponderit poteſtatem faciat, vel eius procuratori, aut legitimæ perſonæ pro eo: ſi cauſa erit eiuſmodi: in qua legibus noſtris procurator admittatur. Sed hoc tum duntaxat: cùm reus vi, vel ſponte in poteſtatem venerit Magiſtratus.

ſtratus. Statuátq; ei, & accuſatori, ac denunciatori (ſi horum quiſquam erit) communem terminum pro qualitate cauſæ conuenientem: neque breuiorem dierum quindecim, neque adeo laxiorem, quin cauſa intra ſtatuta tempora terminari queat. Et ſi reus petierit, in decem alios dies; nec vltra, prorogetur. Intra quem terminum proferat vnuſquiſque eorum quicquid poſitionum, & capitulorum condiderit ſuper accuſatione vel inquiſitione, & exceptionibus, ac replicationibus factis, & alijs quibuſcunque ad cauſam pertinentibus, & examinetur vtrinque. Poſitionibus verò (ſi de impertinentibus oppoſitum foret) nemo prius reſpondere cogatur, quàm iudex (cui ea de recognoſcenda ſit liberum arbitrium) cognouerit: & quæ ſint pertinentes: ſuper quibus ſit reſpondendum, ſtatuerit. Tunc autem reſpondeatur affirmando, vel negando: non autem per verbum credit, vel non credit. Liceat tamen iudici, vbi per inquiſitionem agatur, motu proprio, vel ad partis aduerſæ petitionem inquiſitum: quemadmodum ei videbitur, interrogare, dum ipſi petenti nullum deferatur iuramentum. Et nihilominus, quouis modo agatur, ſiue per accuſationem, ſiue per inquiſitionem, admittat iudex capitula, ſuper quibus teſtes ſint teſtimonium dicturi, quæ tàm ab actore, quàm à reo proferētur: citra diſcrimen, vel controuerſiam, ſaluo iure impertinentium, & non admittendorum, quæ in fine cauſæ veniant diſputanda: & ſuper eis probationes recipiat. Admittantur etiam teſtes ad iurandum, & teſtimonium dicendum: quicunque in cauſis criminoſis proferentur. Nec obſtet, quò minus fiat: quicquid exceptionis idcirco opponeretur: etiam in perſonam. Sed id totum, ſiue de eo ſit, ſiue non ſit proteſtatum, perinde ſit ſaluum, & integrum, ac ſi fuiſſet oppoſitum, & probatum legitimo tempore, & in fine cauſæ diſcutiendum veniat, & cognoſcendum. Interrogatoria verò, quæ ab vtraque partium ſuper capitulis condita fuerint, iudex inſpiciat, inſpecta perpendat, approbet idonea, reijciat non idonea, & ſuper approbatis teſtes interrogati intra ſtatutum tempus teſtimonium dicant. Nec ſatis ſit, eos

intra

intra terminum de testimonio dicendo iurasse: nisi etiam testimonium dixerint; vel, si qui eos protulit: non docuerit apud actuarium causæ semel, atque iterum; diuersis diebus se à iudice, vt eos examinaret, postulasse. Tunc enim, qui iurauerint examinentur: & eorum dicta sint perinde valida, ac si interrogati dixissent intra terminum. Examinentur autem: quemadmodum capite, de ijs, qui vocantur ad testimonium examinandis, in volumine causarum ciuilium cauetur. Verùm: si quis eorum facinori adfuisset, & de veritate dicenda interrogatus: tergiuersans diceret se nescire: coarctetur ad dicendum; sicuti capite de cogendis testibus hoc in volumine criminalium continetur. Iudex verò: ni post decem dies: quàm fuerit requisitus: mox sequentes: eos examinauerit: det viginti libras. Et ne per accusantium negligentiam, vel malitiam delicta remaneant impunita: liceat Magistratui in causa accusationis: antequàm sit lata sententia: præter probationes, quas fecerit accusator: ex officio etiam proferre testes, & examinare, ac veritatem inquirere: quandocunque ei videbitur: tunc tamen: cùm de delicto agitur: propter quod delinquens est corpore plectendus. Vbi verò per inquisitionem agetur, aut per denunciationem, vel ex officio fas semper sit iudici in quocunque crimine: priusquàm feratur sententia: nouas probationes facere: ac veritatem inquirere; etiam post lapsum cuiuscunque termini quomodolibet constituti. Structo autem processu: sumat reus pro libito exemplaria omnium, eique statuatur terminus: saltem dierum trium: ad defensiones, & allegationes faciendas. Et quoniam pars defensionis est posse Procuratorem constituere, & Aduocatum adsumere: producat Magistratus inquisitum ad petitionem cuiuscunque requirentis: eúmque coràm interroget: nunquid velit Procuratorem constituere, & Aduocatum adsumere, ac se defendere. Et si dixerit velle, potestatem ei de omnibus faciat.

## De Procuratoribus constituendis. Cap. XII.



Emo eorum: qui ob id criminis corpore plectendi forent: cuius apud Magistratum accusati fuissent, vel denuntiati, aut inquisiti, neque eorum quispiam: qui ob pecuniam mulctatitiam non solutã corpore etiam esset plectendus, siue per Procuratorem, siue per quencunque alium prius ad criminis excusationem audiatur: nec ad eius defensionem admittatur: quàm se Magistratui exhibuerit: & in carcerem constituerit: nisi causarentur absentiam: aut quicquam aliud iustæ excusationis, vel impedimenti adducerent. Tunc autem Procurator ad ea docendum admittatur: dum nihil de meritis agatur delicti, vel criminis, neque de eis, aut de aliquo, quod ad eius remissionem, vel pœnæ inferendæ diminutionem spectet, tractetur. Verùm si accusatus, vel denuntiatus, aut inquisitus se in carcerem constituerit, liceat ei, postquam responderit, Procuratorem & defensorem cõstituere, & in vinculis causam dicere, sicut fusius capite præcedenti dictum fuit. In alijs verò criminibus: propter quæ mulcta numaria est irroganda: nulla prius accusato, vel inquisito (siue sit in carcere detentus, siue præstita cautione dimissus) sui deffendendi: vel procuratoris constituendi potestas fiat: quàm sic (vt dictum est) responderit: nisi quis habens mandatum speciale ad confitendum delictum compareret, & pręstita approbata fideiussione de stando iuri, & iudicatum soluendo, delictum, cuius principalis arguitur, confiteretur; aut si principalis morbo aliquo adeo vexatus foret, vt se coram Magistratu sistere non posset: vel ab vrbe, & districtu abesset, sed non minori duorum mensium interuallo à delicto: cuius insimulatur, commisso.

De

De minoribus, & quomodo contra eos procedendum sit: déquè eorum pœnis. Cap. XIII.



Aior annis viginti completis, si maleficiũ vel delictum commiserit, puniatur, ac si quinque & viginti completos haberet. Minor verò viginti annis, vbi quartumdecimũ compleuerit: ea pœna plectatur in atrocioribus: qua plectitur maior annis viginti: nisi miseratio ætatis ad mediocrem pœnam iudicem perduxerit. In cæteris autem puniatur arbitratu Magistratus. Minori vero annorum quatuordecim: si deliquerit nulla inferatur pœna, nisi delictum esset admodum graue: eaque tunc sit iudicis arbitratu: modò nulla irrogetur corpori. Verùm, vbi cõtra minorẽ annorũ viginti de maleficio, vel crimine agi cõtigerit: statuatur curator minori vnus ex agnatis, vel cognatis, aut affinibus, si haberi is commodè poterit: sin minus: aliquis de procuratorum grege, qui vel Genuæ agunt causas, vel vbi agetur iudiciũ, quem minor elegerit. Nec alius possit statui, nec statutus admitti.

Quomodò procedendum sit, vbi allegaretur absentia accusati, vel inquisiti. Cap. XIIII.



I quis in causa accusati, vel inquisiti horum cuiuspiam absentiam, antequam sit publicatus exul, coram Prætore, vel Iudice allegauerit. Prętor, vel Iudex diligenter de ea inquirat in vicinia: vbi tempore admissi facinoris: de quo agitur, habitare accusatus, vel inquisitus consueuerat. Statuatque ad eam probandum, illi, qui allegauerit, terminũ pro qualitate causæ condecentem. Et si aliquibus probationibus Magistratus compertum habuerit: eũ verè esse absentem, & ante accusationem, vel delationem, aut inquisitionem etiam fuisse, atque ita vulgò haberi: differat procedere, si ita sibi videbitur; & terminum absenti statuat

congruentem: intra quem reuerti poſsit,& comparere. Si verò de abſentia non conſtiterit, mulctetur, qui allegauit eam: decem libris vſque ad centum, pro qualitate rei, & perſonæ conditione arbitratu Magiſtratus. Et procedatur contra accuſatum,vel inquiſitum non comparentem ad condemnationem, atque ad alia: quemadmodum capite de modo procedendi contra contumaces cauetur.

De quæſtionibus. Cap. XV.


Emo mortalium in vrbe Genua, vel diſtrictu, neque à Prætore, neque ab alio quouis Magiſtratu alicui tormētorū generis prius ſubijciatur: quàm ea præceſſerint indicia: quæ de iure præcedere debent,atque,vt quis torqueatur,vrbis Prætor,& Iudex ſufficere fuerint arbitrati: déque eis apud acta cauſæ in curia Magiſtratus conſtiterit: coram quo agitur, & reo (ſi petierit) exemplaris ſumendi facta ſit copia: itémq; ſtatutus terminus ad diluendum crimen,& ad ſe tuendū congruens: exceptis diffamatis, & probroſis: de quibus dicetur infra, & alijs, de quibus aliter per ſtatuta cauetur. His autem ſic apparentibus,& exiſtentibus, ac deductis,ſi legitimè indicia diluta non forent, poſsit torqueri, ſed tortus ſemel,rurſus non poſsit, niſi noua accedant indicia,vel quæ præceſſerint,adeò ſint vrgentia, vt Iudici videatur arbitratu boni viri eum rurſus eſſe torquendū. Ciuis autem Genuenſis: etiam quòd eſſent indicia, torqueri non poſsit, niſi cū pœna criminis centum libras monetæ Genuenſis exceſſerit. Minor quoquè decem & octo annis non poſsit: niſi ex vrgenti cauſa arbitratu Magiſtratus: Nec mulier prægnans,niſi poſt partū,lapſis quadraginta diebus. Liceat tamen Prætori,& Iudici meretrices,māticularios,publicos latrones,famoſos ſeditioſos,alioſque quoſcunque homines viles, & infames torquere: etiam non ſeruata forma huius ſtatuti. Item ſeruum maſculum,vel fœminam,ſi dominus, vel domina, aut eorum pater, vel mater, aut filius, vel filia,

(dum

(dum ſint bonæ famæ) iureiurando adacti dixerint credere ſibi ab eis, vel eorum altero poculum amatorium, venenum, ſeu toxicum fuiſſe miniſtratum, aut aliud eiuſmodi ſiue in eſculento, ſiue in poculento datum, vel ab alijs, vt interponatur, curatũ, propter quod eorum quiſpiam, vel immemor ſit factus, vel amens, aut à moribus priſtinis, & vita conſueta delirauerit: item alios quoſcunque, qui horum criminum vel conſcij forent, vel participes, ac eas, quæ in huiuſmodi artibus, vel maleficijs obeundis, aut miniſtrandis, vel docendis magiſtræ, ſeu operatrices dicerentur. Contra quos omneis habeat Prætor plenum, & liberum arbitriũ agendi, & in eos animaduertendi: quemadmodum ſibi videbitur. Iſque cenſeatur dominus, vel domina: in cuius famulatu fuerit ſeruus, vel ſerua. Amplius poſsit etiam Prætor, vel Magiſtratus (dum eorum vnicuique ita videatur) illati vulneris accuſatum, vel de eo inquiſitum: propter quod corpore ſit plectendus, quæſtioni ſubijcere, ſi vulneratus erit bonæ vocis, conditionis, & famæ; vitæque periculum adiens, & in ſui plenitudine intellectus conſiſtens iureiurando adactus, ſe ab accuſato, vel inquiſito percuſſum fuiſſe affirmauerit: delictũmq; etiam eiuſmodi fuerit, vt probatio ſit difficilis ſuapte natura. His autem tormentis adhibendis ſemper interſit vnus ex Notarijs maleficiorum collegiatis in vrbe Genua: in diſtrictu vero vnus ex Notarijs curiæ eius Magiſtratus: coram quo cauſa agitur, & eorũ quiſque eius, qui torquetur, dicta, & confeſsiones perſcribat protinus, nulla interpoſita mora, fideliter, & apertè vulgari ſermone: quemadmodum proferuntur ab ore dicentis. Apponat etiam locum, ac tempus, itémq; negationis, & confeſsionis modũ: necnon vtrũ eleuatus tormento, an depoſitus dixerit, & confeſſus fuerit, ac quãto temporis interuallo. Nec ſine huius Notarij interuentu Prætor, vel Magiſtratus quidquam poſsit facere. Poſsit tamen vrbis Genuæ Prætor maleficiorũ iudici: itémq; iudex Prætori vices ſuas ad quæſtionis munus exequendũ præbere. Notarius verò adſiſtat ſedulus Prætori, vel Magiſtratui, eique, quandocunque fuerit requiſitus, præſto ſit ſemper. Quiſquis autem contrafecerit, ſi

Prætor erit, vel Magiſtratus trecentis libris monetæ Genuenſis mulctetur ex ſuo ſalario auferendis. Si Notarius, centum. Iſque teneatur Magnificis D. Procuratoribus denunciare, quotieſcunque deprehenderit, vel cognouerit Prætorem, vel Magiſtratum ſecus, quam dictum ſit feciſſe. Ni denunciauerit, det in pœnam quinquaginta libras, quoties defecerit.

De teſtibus cogendis. Cap. XVI.



Ogat Prætor, maleficiorúmque iudex, & quiſque de criminibus iusdicens tam ex officio, quàm inſtante parte: quoſcunque teſtes ad dicendum teſtimoniū citatos, & iuratos ea de re dicere: de qua à iudice, & notario fuerint interrogati: modis & formis contentis in volumine cauſarum ciuilium, capite de ijs: qui vocantur ad teſtimonium, examinandis. Verùm quia perſæpe contingit delicta, vulnera, & homicidia compluribus præſentibus committi: qui tergiuerſantes prodere veritatem, interrogati aiunt ſe neſcire, & quum plurimum interſit Reipublicæ veritatem ſciri, ne delicta remaneant impunita: hoc noſtro ſtatuto ſancimus: néquis eorum teſtium admittatur, qui cū facinori adfuerit: de eo ſe neſcire teſtetur: Sed omnes, qui adfuerint: cogantur ad dicendum de delicto, & delinquente. Ni dixerint trudantur in carcerem: non prius dimittendi, quàm de delicto, & delinquente arbitratu Magiſtratus conſtiterit. Et ſi quando poſtea cō pertum erit eorum quempiam falſum dixiſſe teſtimonium cum in veritate quam reticuerit: tum in falſitate quam dixerit: pœna falſum teſtimonium perhibentis hunc plectito, vel addictum remo ad vincula nautica in triennium relegato, aut centum libris vſque ad mille multato: pro qualitate rei & perſonæ. Magiſtratus autē hæc ad amuſsim obſeruet, & ſi in aliquo defecerit: quinquaginta libris vſque ad centum quinquaginta mulctetur.

De

De actorum publicatione. Cap. XVII.


Vblicentur (si petetur) dicta testium, siue ex officio, siue alio quouis modo recepta, vbi dilationum tempora ad eos recipiendos præterita fuerint: & etiam quęcunque acta in causis: fiatque exemplaris sumendi potestas partibus: saltem intra dies quinque: & statuatur terminus ad allegandum: pręterquam famosis seditiosis, vel publicis latronibus, qui delictum fuissent confessi, aut de illo manifesta indicia aduersum se haberent. Et si Pręt or, vel iudex in horū aliquo defecerit: quinquaginta libris vnusquisque eorum mulctetur ex suo salario auferendis. Nihilo tamen minus suppleantur omissa; si quid temporis de instantia superit, & decidant. Ni deciderint: eadem pœna vterque adficiatur. Si verò neglecta forma huius statuti: Iudex, vel Magistratus pronunciauerit, sit rata sententia: Sed si ex ea damnatus: pecunia mulctandus erit: Iudex, vel Magistratus id pręstet de suo: in quo eum condemnauerit. Si corpore citra mortem plectendus: det ei centum libras. Et si morte adficiendus, soluat ei, vel heredibus quadringentas Genuensis monetę. Cogatúrque à Syndicatoribus ad earum solutionem simulac eorum quispiam defecisse compertus fuerit.

De processibus formandis, & sententijs ferendis. Cap. XVIII.


Rocessus conditi super accusationibus, vel denunciationibus, aut inquisitionibus intra statuta tempora porrectis coram Pretore, & maleficiorum iudice, vel alijs Magistratibus, ad quod de criminibus cognoscendis pertinet, ab ijs decidantur: coram quibus structi fuerūt. Sed in vrbe Genua definitiuę sententię: ex quibus exilio quis mulctandus erit, vel corpore plectendus, aut ad triremes mancipandus,

dus, vel pecunia mulctandus (si mulcta quinque & viginti libras excedet) ferantur coniunctim à Prętore, & maleficiorum iudice, & vbi non conueniant: eligatur tertius ab Illustrißimo Duce, & Magnificis Gubernatoribus: ita vt sint tres, & quod duo saltem iudicarint: id ius ratúmque sit. Sin minor erit: solus Prętor poßit iudicare. In districtu verò quilibet Magistratus (vt dictum est) proferat: nisi ex forma alicuius statuti aliter caueretur. Omnes autem sententias definitiuas, quas quisque protulerit: manu sua subscribat, vrbis verò Genuę Prętor, & Iudex: vterque per se, vel altero discordante, tertius adiectus. Nec prius aliquas earum Notarius recipiat, vel attestetur, quàm subscriptę (vt dictum est) fuerint. Qui contrafecerit, quinquaginta libris monetę Genuensis mulctetur.

## Intra quę tempora causæ criminales debeant terminari. Cap. XIX.



Ecernat Prætor: maleficiorúmque Iudex, & quicunque alius de criminibus ius dicens: & eorum quisque lites omnes de maleficijs, criminibus, vel delictis iudicet: quæ coram eorũ quocunque (modò sit competens) vertentur, ac terminet, saltem intra sex menses, ab accusatione, vel inquisitione mox sequentes, ijs exceptis: de quibus aliter per statuta est cautum. Ni fecerint, si reus ob delictum probatũ pecunia damnandus erit: vnusquisque eorum mulctetur vigintiquinque libris vsque ad centum, sin alia pœna, centũ vsq; ad ducentas: idq́, totũ syndicatorũ arbitratu: qui statuant de quantitate: & amplius sarciant impensas parti, ac quicquid damni propterea sustinuerit: arbitratu etiam syndicatorum. Et nihilominus, si quid temporis in causa instantiæ reliquum erit (quam nouem mensibus finiri volumus: sicuti capite quanto tempore duret instantia in volumine causarum ciuilium continetur) intra id decernant, ac finiant. Ni finierint: eisdem mulctis afficiantur. Interea verò, si intra dictos sex menses

ſes ſucceſſor in Magiſtratum aduenerit: & proceſſus adeò ſit instructus, vt ex eo poſsit ferri ſententia: iudicent intra menſem ſucceſſor & iudex: Sed ſi instructus nō foret, ſex menſes habeant ad instruendum, & iudicandũ. Ni deinde iudicauerint: eiſdem pœnis afficiantur: quibus eorũ anteceſſores afficiendos diximus. Proceſſus autem tunc intelligatur instructus: cùm probationes factæ fuerint: & teſtes publicati. Porrò, lite pendente, ſi aduerſus teſtium quempiam, ſiue productorũ, ſiue ex officio receptorũ: aut aduerſus eos, qui produxerunt, exceptio, vel accuſatio falſitatis in cauſa criminali foret propoſita: conquieſcat cauſa principalis: nec quicquam temporis, quod in ea reliquum ſit: propterea partibus prætereat, aut depereat, vel obſit ad inſtantiam cauſæ ob memoratas pœnas appoſitas, vel ob aliud quidpiã: donec de propoſita falſitate ſit abſolutũ iudicium: quod intra triginta dies ab eo: quo fuit propoſita (ſi fuerit per exceptionem) abſolui hoc noſtro ſtatuto ſancimus: ſin per accuſationem, ab eo die, quo accuſatus vel inquiſitus coram Magiſtratu ſui excuſandi gratia comparuerit, nec protelari vltra eum queat. Vbi verò contigerit accuſatũ falſitatis intra ſtatutũ tempus conuinci, & condemnari, eius teſtimoniũ: propter quod accuſatio fuit propoſita: illi non obſit: aduerſus quem in cauſa principali fuit teſtificatus, ſed ſit irritum, & nullum ſortiatur effectum. Is autem, qui accuſauit, vel notificauit, ſi non probauerit, aut accuſationi, vel notificationi renunciauerit, aut quomodocunque deſtiterit · det in pœnam quinque & viginti libras vſque ad centum. Dictum tamen accuſati maneat incorruptũ: quanuis non comparuerit: & publico edicto de falſitate ab vrbe, & diſtrictu factus exul fuerit: niſi, qui accuſauit, id falſum eſſe probauerit. Ad hoc autem probandum is, qui accuſauit, non aliter admittatur, quàm ſi accuſatus adeſſet, vel comparuiſſet. Citetúrque ad acta omnia, qui teſtes produxit, vel alter, qui inſtitit, ſiue accuſatus cōparuerit, ſiue non comparuerit: etiam ſi teſtis ex officio fuiſſet receptus. Et terminetur quæſtio intra ttiginta dies ab edicto exilij promulgato mox ſequentes. Falſitatis autem quæſtione finita, repetant Prætor, & Iudex

Iudex causam principalem: & in eam incumbant, atque intra id temporis: quod erat reliquum cùm fuit proposita falsitas, decidant. Ni deciderint, ea numaria mulcta vterque eorum damnetur: quia is, quem contra de falsitate fuit oppositum: fuisset damnandus, vel trecentis libris: si corpore plectendus fuisset.

Vt autem causæ non comperendinentur, atque hæc eum: ad quem diriguntur, sortiantur effectũ: & qui defecerit, palàm fiat, statuimus: vt secundo quoque mense aduocatus fisci omnes accusationes, denuntiationes, processus, & inquisitiones singulatim reuideat: & quas deprehenderit intra statutum tempus non expeditas: apud acta cancellarij ad hoc electi Magnificis Procuratoribus denunciet: vt scripto publico de denuntiatione appareat: Nec interim quicquam salarij prius ei solui queat: quam de ista reuisione per schedulam Notarij Prætoriæ curiæ ad criminalia, & Cancellarij Magnificorum Procuratorum ad eam recipiendam electi: fidem Magnificis Procuratoribus fecerit. Et si cognitum fuerit, rem aliter se habere: quàm in schedula continebitur: pœna falsi Notariorum quisque plectatur: & amplius quinquaginta libris mulctetur: quoties vel deliquerit, vel defecerit. In Riparijs verò, & toto districtu Notarij criminalium eas causas Magistratibus: coram quibus aguntur: duntaxat denuncient quæ intra statuta tempora erunt terminandæ: & vt terminentur, insistant. Ni fecerint, & aliquæ deprehendantur intra statutum tempus non expeditæ: soluat fisco quisque contrafaciens in vnamquancunque non expeditam decem libras: nisi eum institisse constiterit: & quò minus terminatæ fuerint: per eum nõ stetisse. Tunc autem Magistratus duntaxat sit pœnis statutis obnoxius: déque eis causam dicat. Curiarum verò suspensiones: quæ propter aduocatorum valetudinem, aut ob aliud quodcunque causæ nonnunquam fieri consueuere, non comprehendant causa s criminales, sed ab eis penitus censeantur exclusæ, nisi de ipsis, vel de aliqua ipsarum in decreto suspensionis mentio fieret specialis.

De

## De mulctis inferendis ijs, qui Magistratibus non paruerint. Cap. XX.



Mnes Ciues Genuenses, & districtuales, ac cæteri in vrbe Genua vel districtu: siue sit municipium, quod hodie Communitas dicitur, siue Castellum, quod Vniuersitas vocatur: eorúmque Consules, vel Syndici, aut Officiales: & quiuis priuatus: pareant omnibus Magistratibus ab Illustrissimo Senatu constitutis: & alijs ad muneris quidpiam delegatis, & eorum cuique in ijs omnibus: quæ ad cuiusque præcipientis officium, & iurisdictionem pertinent: & fideliter exequantur quicquid ab eis, & eorum quoquo, vel eorum nomine eis, aut eorum cuique iussum erit, vel iniunctum, modò id ab honesto non deuiet: déque eo appareat scripto manu Notarij curiæ, vel Officialis. Qui secus fecerit, si municipium erit, vel Castellum: toties eius incolę quinque & viginti libris vsque ad ducentas illius qui pręcepit: Magistratus arbitratu mulctētur: quoties contrafecerint. Sin Priuatus, quinque vsque ad centum, pro qualitate personę, & rei conditione. Nemo tamen eorum, siue sit municipium, siue Castellū, siue Priuatus: de vno & eodem pręcepto: pręterquàm semel mulctari queat: nisi, vbi alia pœna in nostris statutis, vel ab vrbis Prætore esset apposita. In huiusmodi autem mulctis agatur summatim sine processu, & pignore banni, ac figura iudicij: modo de præcepto apud actuarium constet: & quamobrem sit pœna iniuncta.

## Quòd non possit renunciari iuri abolitionis. Cap. XXI.



Emo eorum, qui criminis vel maleficij quempiā apud Magistratum accusauerit: iuri abolitionis possit renunciare; sed semper & quandocunque voluerit, possit accusationem accusato remittere, & abolitionem, ac si non renunciasset, petere.

De

## De arbitrio Prętoris contra exteros, & discolos. Cap. XXII.


Rbis Genuæ Prætor, & quicunque de criminibus ius dicens de omnibus maleficijs, ac delictis, quę in vrbe Genua, vel districtu ab exteris hominibus, qui nec vrbē, nec in districtu quid loci incolunt, & ab alijs discolis malæ conditionis, vel famæ committuntur: cognoscendi plenum arbitrium habeant, atque absolutum ab omnibus iuris communis: & statutorum ordinibus in agendo, torquendo, & cōdemnando, ac pœnas, quas iniunxerint, siue pecuniariæ sint, siue pro quibus delinquens sit corpore plectendus, exequendo: quemadmodum eis videbitur pro qualitate admissi, & conditione personæ: dum minor pœna non inferatur, quàm nostris legibus constituitur, morte excepta, & membri truncatione, quæ non, nisi ab vrbis Prætore irrogari queat: seruata forma statutorum, vel iuris communis.

## Quòd Prætor maleficiorúmque Iudex in postremis diebus quindecim sui officij neminem possint absoluere, nec condemnare. Cap. XXIII.


Vllus Prætor, maleficiorúmque Iudex tum: cùm dies quindecim sui officij tantùm supererūt: possit intra eos quempiam de maleficio, vel delicto absoluere, vel condemnare, sed qui succedet: vnà cum altero remanente, vel separatim id muneris peragendum obeat: sicuti cap. De processibus formandis, & sententijs ferendis cauetur. Et terminent perinde, atque alio cap. Intra quæ tempora causæ criminales terminari debeant: continetur.

De

Cuius quantitatis cautio peti posſit. Cap. XXIIII.



Emo criminis accuſatus: propter quod pœna numaria ſit irroganda, cogi poſsit à Magiſtratu ad ſatiſdandum de ſtando iuri: & iudicatum ſoluendo: prę terquàm ad duplum eius: in quo eum poſſet condemnare. Et ſi idoneè cauerit, dimittatur. ijs tantùm demptis cauſis: in quibus aliter per ſtatuta cauetur. Vbi verò ſatiſdari de non offendendo petatur: ſi de iure arbitratu Magiſtratus cauendum erit: caueat ad eam vſque ſummam: quam ſtatuet Magiſtratus pro qualitate perſonæ, & criminis conditione. Detentus tamen ob crimen: donec extra carceres liber ſit: propter æs alienum in eis: detineri nequaquàm poſsit.

Quòd propter condemnationes locorum non grauentur ciues, nec habitantes in vrbe. Cap. XXV.



Vllus ciuis Genuenſis, aut eorum quiſpiam, qui decem annos habitauerit in vrbe Genua, poſsit à Magiſtratu ob condemnationem: quã tulerit in incolas cuiuſpiam municipij, vel caſtelli ditionis Genuenſis grauari, vel cogi ad ſoluendum quidpiã: etiam ratione bonorum: quæ dicerentur in eorũ territorijs poſsideri: ſed omnes ſint ab ea immunes, & liberi. Qui contrafecerit, centum libras pendat auferendas ex ſuo ſalario: & irritum ſit quodcunque fecerit.

Quòd Prætor, & Iudex, aut Officialis neminem in carceribus detentum liberet, niſi cauſa cognita. Cap. XXVI.



Vllus Prætor, vel Iudex, aut quiuis alius officialis ſiue in vrbe Genua, ſiue in diſtrictu poſsit è cuſtodia carcerum detentorum quempiã miſſum facere: nec, vt emittatur, mandare, niſi cauſa, ob quam is detinetur: prius cognita ſit, & deciſa: eaq; omnia ſint ſeruata, quæ ex iure, & for-

ma ſtatutorum noſtrorum debent ſeruari. Liceat tamen ei: quandocunque ſe res obtulerit, vt ex aliquo quidpiam velit percunctari, illum, duce cuſtodia, ad ſe cautè adduci facere. Si ſecus fecerit, eius periculo cedat, & de eo cauſam dicat.

De cuſtodia carcerum. Cap. XXVII.



Vſtodes tàm Malæpagæ: quàm aliorum quorumcunque carcerum in vrbe Genua, vel diſtrictu condant librum, & in eo carceris, & cuſtodiarum rationem conficiant. Scilicet quo die quis in cuſtodiã datus, & quãobrem, & de qua ſumma, ſi ex cauſa debiti fuerit: Item quo die emiſſus, quo alius ad ſupplicium abductus, & quo die ad forum ſuum alius relegatus, vt ex hoc cõſtet carceris, & cuſtodiarum ratio: & facilius carceres purgari queãt, & exhauriri. Amplius detentos oẽs, & vinctos, ne quo modo poſſint euadere: diligenter adſeruent: Nec, niſi de eorum creditorum conſenſu, & voluntate: ad quorum petitionẽ in eos coniecti fuere: (ſi propter æs alienum detinentur) aut de ſpeciali mãdato eius Magiſtratus: ex cuius officio ſunt detenti, vel alterius poteſtatem habentis: eorum aliquem miſſum faciãt. Et, ſi dolo, culpa, incuria, vel negligentia eorum cuiuſpiã (quod ſemper præſumatur, niſi contrarium probetur) aliquem propter debitum detentum extra carceres inueniri contigerit, niſi tum, cùm Iudex vel Magiſtratus ex aliqua cauſa hunc ad ſe, duce cuſtodia, adduci iuſſerit: ſoluat cuſtos creditori, ſiue publico, ſiue priuato id pecuniæ: propter quod is erat detentus, ac tantundem fiſco nomine pœnæ: quam poſt factum illico eum ſubijſſe ſancimus. Si verò quis ex vinctis, vel detentis euaſerit, aut dimiſſus fuerit: iſque de aliquo crimine exul ſit factus, & promulgatus, aut ob aliud crimen imputatum captus, ſiue id ſit probatum, ſiue non probatum (nã ex cauſa fugæ probatum cenſemus) luat id pœnarum cuſtos: quod horum quiſque ſiue pecunia, ſiue corpore luere debuiſſet. Et ſi pecunia mulctandus erit: ipſe, eiuſque fideiuſſores intra triginta dies ab eo: quo fuerint requiſi

requisiti, compellantur à Prætore & Iudice, vel alijs Magistratibus districtus ad soluendum summatim: & simpliciter sine figura iudicij, & pignore banni, sola facti, & rei veritate inspecta.

Quòd custodes carcerum ex causa custodiæ nihil amplius accipiant: quàm per statuta constituatur. Cap. XXVIII.


Vllus carceris custos per se, vel per aliũ ex causa custodiæ audeat ab aliquo emittendo quicq̃ petere, aut quouis modo accipere, vel extorquere supra id quod nostris sanctionibus est constitutum. Si secus fecerit: pendat quadruplum eius, quod sibi per statuta debetur: quoties deliquerit, cedatque dimidium cameræ Magnificorum Procuratorum: reliquum illi: qui denunciauerit. Prætor autem: ac Iudex hoc vestigent diligenter: & quem inuenerint sontem: saltẽ dicto illius: qui iuratus dixerit se dedisse (quod pro vera probatione concurrentibus alijs indiciorum adminiculis arbitratu Iudicis de causa cognoscentis competentibus haberi volumus) puniant: nulla deprecatione admissa. Ni fecerint: toties vterque eorum soluat fisco quinquaginta libras nomine pœnæ: etiam durante tempore sui officij: quoties contrafecerit.

Quòd custos carcerum nihil eorum palàm faciat, quæ in eis à Prætore, & Iudice fiunt. Cap. XXIX.


Vstos carcerũ, apparitor, vel satelles, aut quiuis alius, qui exàminibus, vel alijs, quæ à Prætore & Iudice in carcerib⁹ fiunt, interfuerit: nihil eorum quiquã palã faciat. Qui fecerit si agẽt in cã de crimine læsæ Maiestatis: pœna capitis puniat. In cæteris verò: si causa capitalis erit: aut alia, ob quã delinquẽs corpore sit plectẽdus: bis, térve fidiculis torqueat: si ad id ferendum habilis erit: sin minus, annum exulet vsque ad biennium, vel trib⁹ mensib⁹ vsque ad sex in carcerum custodia detentus adseruetur. Vbi verò in causa numaria pœna irroganda foret: decem libris vsque ad quinquaginta mulctetur.

Quòd propter omissas solennitates: causæ criminales irritæ non reddantur. Cap. XXX.



I de crimine, vel delicto eius, qui deliquit cōfessione, aut legitima testium probatione, vel alio quouis modo legitimè constiterit: actorq; , & cōuentus legitimam personam habuerint: Iudexq; , cōpetens fuerit :& dati sint termini ad faciendas defensiones: pœnæq; ex forma statuti impositæ, sententia, quam Iudex tulerit; sit rata, & firma; quamuis vel solemnitas in processu omissa, vel iuris ordo, aut statutorum seruatus non fuerit. Nec tum quid opponi aduersus processum queat, vel dici eum nullum esse, aut quicquam exceptionis; etiam de excessu, aut iniustitia allegari, vel allegatum à quouis Iudice admitti: præterquam de iniustitia à sententijs Magistratuum districtus: quēadmodum cap. sub rubrica de appellationibus continetur.

De appellationibus causarum criminalium non admittendis: nisi modo infrascripto. Cap. XXXI.



Emo possit de præcepto facto, vel sententia lata, aut processu condito à Magistratu vrbis Genuæ in causis accusationis, denuntionis, vel inquisitionis ad aliquem Magistratum prouocare: neque dicere horum quidpiam nullum esse, aut factum aliter se habere: quàm in eis expressum fuerit; præterquàm in causis, in quibus mulcta exigenda cedat parti, ac in sententijs latis à Magistratibus districtus: à quibus ex forma statuti sub rubrica de ordine potestatum districtus licet appellare. His autem exceptis, aliæ reijciantur, nec ab eo Magistratu: ad quē appellatum fuerit: admittantur. Si admiserit, soluat fisco centum libras nomine pœnæ quoties deliquerit: & irritum sit, quodcunque fecerit.

CRIMI-

# CRIMINALIVM
## LIBER SECVNDVS.
## DE POENIS.

### De Blasphemis. Cap. I.



EVS delatus, & conuictus probrosi maledicti in Deum, Beatam Virginem, Crucem Domini nostri Iesu Christi; & in quencunque Diuûm: in primum delictum mulctetur scuto vno auri vsque ad decem. In secundum post mulctam: duobus vsque ad quinque & viginti. In tertium, vsque ad centum damnetur, & sit infamis. Si erit officialis, ipso iure ab officio cadat, nec ad aliud eligi posit, nisi ab Illustrissimo Duce, & Magnificis Gubernatoribus prius sit factus habilis. Damnatus, nisi intra treis dies post condemnationem sequentes pœnã soluerit, per loca vrbis publica fustigetur, & ad catenã vinctus horis quinque os impudentiæ prę beat contumelijs turbæ circũstantis, & conuicijs. Si apprehensus non fuerit, exul publicetur, nec, nisi pœna soluta, restituatur. Interea verò, si in iudicis venerit potestatẽ, nec pœnam soluerit intra triduũ, amputetur ei lingua. Et si post tot mulctas, rursus quartò deliquerit, relegetur in quinquenniũ ad triremes. Miles cõuictus, militiá abdicetur, & menstruũ stipendium restituat, si tẽpore pacis erit, sin belli, arbitratu Ducis puniatur. Nautarũ magistri, & cuiusuis nauigij rectores artificésq; & patres familias, simulac audierint nautarũ quempiã vel artificũ, aut famulorũ suorũ, conuiciũ in Deũ vel diuos ingerere, seu (vt aiũt) blasphemare: hunc intra horas quatuor & viginti extrudant. Ni fecerint, eadẽ pœna adficiantur, qua, qui deliquit. Pueri loris, vel virgis cædantur.

Qui sacras imagines Dei, vel sanctissimę Crucis sciẽs percusserit, vel quomodocunque turpauerit: in primũ delictum amputetur ei manus, vel ad triremes relegetur in quinquenniũ. In secundũ vltimo supplicio adficiatur, vel ad triremes perpetuò mancipe-

tur. Horum aũt omniũ iudices sint Magnifici Procuratores, qui & agendi, & puniendi: queadmodũ eis videbitur, habeãt plenũ, & liberũ arbitriũ, & amplius in vrbe Genua Pretor, maleficiorúmq; Iudex. In districtu verò Prætor, & cæteri Magistratus iudicẽt, & agant ex officio, sicut in delictis agitur: in quibus pœna sanguinis irrogatur, sed breuioribus terminis, vt causæ, saltẽ intra mensem: terminentur. Notarij Magistratuum in vrbe Genua, & in tribus prætorijs curijs querelas, & denunciationes intra dies duos: postquàm porrectę fuerint: Magnificis Procuratoribus denunciẽt. Ni fecerint: quinque & viginti libris in vnãquanque nõ denunciatã mulctentur. Liceatq; vnicuique ad Magnificos Procuratores in vrbe Genua, atq; ad alios Magistratus in districtu noĩa delinquentiũ deferre: habeatq; delator dimidium numariæ pœnæ in illũ cõstituẽdæ: quẽ accusauerit, si intra dies quindecim à delicto cõmisso detulerit, & reus eo de crimine cõuictus fuerit: sitq; sub secreti sigillo. Reliquũ verò dictę pœnæ in vrbe Genua cedat officio suffragij pauperum. In cęteris locis districtus erogetur pijs locis: quẽadmodũ à ius dicẽte fuerit ordinatũ. Statores autẽ, & Satellites: si quem blasphemãtem audiuerint: hunc per se: etiã iniussi: in carcerem trudãt. Ni truserint: ab offõ cadãt: eoq; abdicati censeãtur. Et qm̃ Reip. admodum interest hoc prauum hoĩum genus cõpescere, & coercere, vt cæteri: horum exemplo deteriti hmõi impietate abstineant: & honos qui Deo: Diuisq; debetur: piè sanctèq; seruetur: ac cultus eis exhibeatur innoxius: quod quidem eò reddetur facilius: quò amplius eorum: qui delinquunt, & plectendi sunt: noĩa fuerint in aperto. Proinde: hoc nostro statuto sancimus, vt Genuę in Ecclesia Metropolitana: in oppidis verò, & castellis districtus mœnibus septis in eorum Ecclesia principali reponatur capsa: in quã, cuique liceat nomen & cognomen illius: quem nouerit deliquisse: itemq; testium, qui adfuerint, & locum, ac diem delicti cõmissi breui schedula adnotatum ĩmittere. Huius aũt claues apud Magnificos Procuratores in vrbe Genua seruentur. In alijs verò locis, apud eos, quos ipsi elegerint: Aperiaturq; singulis hebdomadis, & videat an sint aliqui delati: in quos, eo de scelere agendũ sit.

De

## De præter naturam lasciuientibus. Cap. II.



Ræter naturam lasciuientes, tàm incubi, quàm succubi furca suspensi igne vltore deleantur de terra viuentium. Eadémque plectatur pœna quisquis agrum; domumúe ad id sceleris cõmittendum præbuerit. Vim passi non sunt in ea causa: vt huius criminis damnentur. Qui ætate excusantur; pœna numaria arbitratu Magistratus mulctari possunt: salua semper in his omnibus Magnificorum Procuratorum autoritate.

## De Adulteris, & Stupratoribus. Cap. III.



Vpta non coacta: si adulterium cõmiserit: capite plectatur: cedantq; marito, & liberis dotes; & ante factum in omnibus: quemadmodum capite de muliere fugitiua à domo mariti cauetur. Vir, si alibi, quàm domi, quam ipse habitat: alteri nuptâ carnali copula cognouerit: summo adficiatur supplicio. Si nupta est impudica: se prostituens, vel quæ sui corporis quæstum faciat, déque eo publica voce, & fama constet, ac tribus idoneis testibus, vel tribus singularibus, qui iureiurãdo adacti testentur rem cum ea habuisse, vir nullam pœnam subeat, sola mulier plectatur. Si vir domi suæ: aliter, quàm per vim: alteri nuptam carnali copula cognouerit: quinquinta libris vsque ad quingentas mulctetur, vel fustigetur: nisi eas intra dies quindecim soluerit. Si eam pro amasia publicè in contubernio habuerit: capite plectatur. Eadémque pœna adficiatur quicunque per vim mulierem carnali copula cognouerit.

Masculus & fœmina qui incestum commiserint: etim si mutuò sibi fuerint consentientes: capitali pœna puniantur.

Sanctimonialem professam: habitúque monachali indutam si quis in cœnobio, vel extra carnali copula etiam volentem cognouerit:

uerit:pœna capitis plectatur. Nec quicquam layco de die, vel de nocte: nisi ex speciali superiorum concessione fas sit mōnasteriū sanctimonialium ingredi. Qui secus fecerit, in primā transgressione mulctetur trecentis libris, deinde sexcentis, quoties deliquerit, vel ter fidiculis torqueatur, nisi soluerit intra triginta dies, aut extra vrbē Genuā, & districtū vsque ad triennium arbitratu Magistratus relegetur. Qui verò sine consensu superioris sanctimoniale domi suæ habitationis hospitio receperit, vel in cōtubernio habuerit: ducentis libris puniatur.

Qui stuprum in virginē etiam volentem cōmiserit: det quinquaginta libras vsque ad quingentas, vel fustigetur, nisi soluerit intra triginta dies. Sed si virgo seducta fuerit, quod præsumatur: nisi probetur contrarium: præter dictam pœnam dotet eam: qui seduxerit: arbitratu Magistratus pro qualitate personarum.

Vt aūt nemo audeat fœdare connubia, & decus muliebre serue tur: Decernimus ius accusandi, deferēdi, vel denunciandi de adul terio, vi, stupro, vel incestu proximis duntaxat necessarijs competere nempe patri, fratri, patruo, auunculo, & marito. Si quidem hi oēs vero dolore impelluntur. Vbi verò maritus eius, quæ diceretur adultera, in vrbe Genua foret, vel in districtu: nemo alius præter eū: ad accusationem, vel denunciationē adulterij admittatur. Si abierit, necessarij: de quibus supra meminimus: tantùm succedant, & admittantur. Accusatione verò, vel denunciatione à quouis eorū facta, siue ea de adulterio sit, siue de vi, siue de stupro, siue de incestu: tunc, nec antè super eis, vel altero eorū instituatur inquisitio, & agatur in ea ex forma statutorum, & ex forma iuris cōmunis: vbi quid in statutis defuerit. Omnibus autē in casibus: in quibus adulter, & adultera sint corpore plectendi: eo genere supplicij sine vllo discrimine animaduertatur in fœminam: quo animaduertetur in masculum: si vterque in Magistratus venerit potestatem, sin minus, is, qui venerit, eo adficiatur, & alter, donec veniat, eo de crimine exul publicetur. Marito verò: qui vxorē suā adulterij postulauerit: & alijs, qui alteri nuptam post maritum, & patrē ad accusandum, vel denunciādum admittuntur: liceat ante

prolatio

prolationem definitiuæ sententiæ: quandocūque eorum quisque voluerit, ab accusatione, vel denunciatione sistere: non tamen: postquàm destiterint: accusatam rursus eius criminis postulare. Eodémque beneficio vti possit etiam adulter: Mulier verò tunc liberetur: & viro suo restituatur. Domum autem accipere debemus: non proprietatem domus, sed domicilium. Quare siue in propria domo quis habitauerit, siue in cōducta vel gratis, siue hospitio receptus: hæc lex locum habebit: & si quis in villa habitat: vel in hortis idem erit probandum: & ita vbique locorum huius capitis censendum in quo de domo verba facere contigit.

De Raptoribus. Cap. IIII.


Aptores virginū honestarum, vel ingenuarum, siue desponsatarum, siue nōdum despōsatarum, vel quarūlibet viduarum, aut nuptarum, & qui inuasionis tēpore opē ad rapiendū tulerint: etiā si raptæ cōsenserint: capite plectātur, & bona publicentur: cedatq; dimidium fisco: reliquum raptæ. Cæteri verò: qui huiusce criminis inuenti fuerint cōscij, nec ante admissum facinus iudici propalauerint: quiq; eos susceperint, vel opē ante, aut post inuasionē tulerint, siue mares: siue fœminę sint: etiā quacunque cōditione, vel dignitate fulgentes, eodem afficiātur supplicio: facultatibus eorum nullā diminutionem passuris. Liceat tamen raptæ: patris sui accedente cōsensu: si tunc in viuis aget, vel si diem suum obijsset: duorm ex suis propinquioribus: illi, qui rapuit, se matrimonio iungere. Et, si raptor eā sibi in vxorem accipere volet: ac dotare arbitratu Magistratus pro conditione personæ: absoluatur raptor à pœna, & restituātur bona: quarta dūtaxat parte excepta: quā in pœnā delicti fisco cedere decernimus. Sed si minor erit quingentis scutis auri: soluat ad eam vsque quantitaem reliquum raptor intra dies triginta. Vel, nisi soluerit: triremibus mācipetur, vel extra vrbem Genuā, & districtum relegetur, aut in carcere detentus adseruetur in tempus: arbitratu Illustrissimi Ducis, & Magnificorū Gubernatorū, ac Pro

cura-

curatorum ſtatuendum : ſaluis ſemper pœnis, & multis cōtra ſocios: aliosq; criminis participes ſupra memoratos conſtitutis.

Mulierem Deo dicatam : aut intra tempus profeſsionis habitu monachali indutam in Monaſterio degentem ſi quis, etiā volentem: rapuerit, vel rapere tentauerit: & ad actum facto proximum proceſſerit : vltimo adficiatur ſupplicio: & publicentur bona. Eadémq; pœna plectatur quiſquis ad eiuſmodi maleficium perpetrādum opem præbuerit. Prętor autem, & alij Magiſtratus aduerſus iſtos plenum: & liberum arbitrium habeant agendi, & cognoſcēdi, ac puniendi quemadmodum ſupra meminimus.

Alterius ſeruā, vel fœminā impudicā, qui inuitā rapuerit, ad habendum rem cum ea: quod præſumatur: niſi contrarium probauerit: ipſe, & ſocij adigātur ad triremes in triennium: duplúmq; precij ſeruæ domino ſoluāt. Si ſeruā quis non inuitā abduxerit : domino reſtituat : & duplum: quanti fuerit æſtimata: pendat : dimidiúmq; cedat fiſco : reliquum domino ſeruæ: & amplius annum exulet extra vrbem Genuam, & diſtrictum. Abducta ſerua cenſetur, quæ apud aliquem cōmorans, ad dominum intra biduum nō reuertitur. Damnati horū criminum: qui intra triginta dies non ſoluerint : in annum triremibus relegentur.

## Quòd mulier malæ famæ, nec leno habitent vbi degunt homines honeſtæ conditionis. Cap. V.



VLLA meretrix, vel mulier malæ famæ, aut lena, vel leno ea in vicinia habitare queat: in qua degunt homines, vel mulieres honeſtæ conditionis: boniq; nominis. Si habitare inuenta fuerit : & Magiſtratus id compertum habuerit, atquè eam vel impudicam eſſe, vel virum lenocinium exercere dicto trium teſtium cognouerit: qui iure iurando adacti id ſe dicāt credere : eos extrudi iubeat intra triduū, vel fuſtigari, niſi eo elapſo abſceſerint. Et ſi eò rurſus ad habitandum venerint, extra vrbem Genuam, & diſtrictum in quinquennium releget. Si contrafecerit: det fiſco in pœnam centum libras.

Quòd

## Quòd nemo meretricium, vel lenocinium exerceat in vrbe Genua. Cap. VI.



Eno, vel lena, aut quicunque alij siue mares, siue fœminæ fuerint, qui virginum, nuptarum, vel sponsarum pudicitiam sollicitauerint: conuicti & damnati in primum delictum fustigentur: ferroque candenti stigma fronti inuratur. Si rursus sollicitauerint: nares eis amputentur, & extra vrbem Genuam, & districtum extrusi perpetuo damnentur exilio. Sollicitare pudicitiam dicitur, ex pudica, vt aliqua impudica fiat, curare. Parentes, qui filias suas prostituunt: & in eis quæstum exercent: narium truncatione plectantur. Admodum enim iniquum est: viscerum suorum castitatem vænundare. Si filiæ consenserint, arbitratu iudicis puniantur. Maritus, qui quæstum ex adulterio vxoris suæ fecerit: si humilis erit conditionis, fustigetur, & extra vrbem Genuã, & districtum in decennium relegetur, vel triremibus in quinquennium mancipetur. Si honestæ conditionis: perpetuo exulet extra vrbem Genuã, & districtum: dimidiúmque bonorum fisco inferatur. Nec enim mediocriter deliquit, qui lenocinium in vxore exercuit.

## De contrahentibus clandestina matrimonia. Cap. VII.



I fœmina cuiusuis conditionis minor annis quinque & viginti: quæ nunquam fuerit desponsata: se alicui matrimonio iunxerit sine consensu patris sui, vel aui paterni patre non superstite, aut, si omnes obijssent: præter voluntatem matris, quæ ad secunda vota non transierit, vel, si transierit, aui materni, aut fratris, vel patrui, aut alterius ex agnatis propinquioribus, si nec mater, vt supra diximus, nec auus, nec frater, aut patruus in viuis

agerent, aut ipsis omnibus fato functis, vel ab vrbe, & districtu milliarijs quinquaginta absentibus sine consensu duorum ex propinquioribus vsque ad quartum gradū, sicut decreta distinguunt, vel tutorum, aut curatorum, si nec etiam propinquiores agerent in humanis, aut si (vt dictum est) absentes forent: ipso iure priuata censeatur omni iure dotis petendæ: vel sibi constituendæ, ac etiam bonis omnibus: cum paternis: tum maternis, ac hæreditate: si quæ sibi ex parte patris: vel matris obuenisset; vel obueniret: cædatque patri, matri, vel fratribus, aut alijs ad quos pertineret: ac si puella ipsa, seu fœmina esset fato functa. Vir autem, qui puellam huiusmodi, vel fœminam desponsauerit absque consensu eorum, quos supra memorauimus: det in pœnam scuta centum vsque ad mille arbitratu Magistratus pro conditione personæ. Qui verò puellam, vel fœminam ad contrahendum matrimonium per se, vel per alium coegerit: capite plectatur: & amplius scutis mille mulctetur: si puella, vel fœmina coacta ciuis erit Genuensis: degens in vrbe Genua, vel suburbijs: sin districtualis: habitans in districtu: præter capitis pœnam soluat trecentas libras vsque ad mille arbitratu Magistratus.

Quisquis autem sciens his omnibus, secus, quàm præfati sumus: se interposuerit, vel auxilium, aut consilium dederit, aut tractandum susceperit, vel ordinauerit, aut ordinari passus fuerit, vel quouis modo siue fœminam minorem annorum quinque & viginti: siue masculum minorem duobus & viginti suadendo ad matrimonium contrahendum induxerit: det quingentas libras: cedatque fisco dimidium mulctarum omnium: quas suprà memorauimus: reliquum illi, qui contrahendo matrimonio est aduersatus: ex cuius consensu fieri debuisset. Testes verò, qui scientes interuenerint: & notarius, qui instrumentum sciens confecerit: soluant fisco: scilicet eorum quisque centum libras nomine pœnæ, ac trecentas quicunque sciens in domo sua, vel conducta horum quidpiam passus fuerit perpetrari. Ab hac autem sanctione tàm fœminæ, quàm masculi humilis conditionis, vel vagabundi censeantur exclusi.

De Ho

De Homicidio. Cap. VIII.



Vi dolo homicidium commiserit: quivé ad committendum opem tulerit: dolúmve commiserit, aut quo cõmittatur tractauerit: vel ad cõmittendum comitem se homicidę præbuerit: vltimo adficiatur supplicio. Si fuga euaserit, & ex forma statuti de modo procedendi contra contumaces euocatus: ad constitutum diem se coram Magistratu sistere neglexerit: eiúsq; criminis tanquam contumax conuictus: damnatúsq; fuerit: exul in perpetuum factus edicto extra vrbem Genuam, & districtum publicetur: quemadmodum dicto capite fusius continetur. Omnia verò bona: cùm immobilia, quæ saluis iuribus vxorum, nurum, ac creditorum dirumpi volumus, tum mobilia: vnà cum iuribus, & debitorum nominibus ex duabus tertijs partibus fisco publicentur: reliquum cedat hæredibus interfecti. Et si subhastabuntur: addicentur pluris licitãti: nisi Illustrissimo Senatui visum fuerit: bona immobilia inter attinentes, & vicinos diuidere: ijsq; , quo statuerint pretio: ea addicere: quod eius semper sit arbitratu: dummodo Respublica pro eis, & alijs bonis, siue mobilibus, siue immobilibus fisco ex causa criminis deuolutis, vel deuoluendis: vbi ea vænundari contigerit: defendendis & euincendis, emptoribus, atque hæredibus: eorúmq; successoribus generalib⁹, & particularibus obligata restet. Exul autem factus non eximatur ab exilio: nisi intra statutum tempus dicto capite de modo procedendi contra contumaces coram Magistratu præsens comparuerit. Tunc autem agatur: quemadmodum ibi continetur. A pœna verò homicidij excipimus furiosum, qui ea sit mentis alienatione: vt, quid agat, non intelligat: vel, quid egerit: non intellexerit. Item eum: qui quempiam fortuitò, vel ad suam, aut socij defensionem occiderit: ac eum, qui damnatum publici criminis: & exulem publicatum à Genuensi Magistratu potestatem habente interfecerit: ac dominum, vel dominam, qui suum seruum, vel seruã

D occide-

occiderit:cõtra quos id ſeruetur : quod capite de ſeruorum exceſſibus compeſcendis eſt conſtitutum. Magiſtratus autem hæc omnia præſtet: Ni præſtiterit:ducentis libris mulctetur.

Serui, vel famuli, aut quicunque alij, qui ſuos dominos, vel illos,quibus cum vnà habitant,occiderint: quique conſilium dederint, opémve tulerint: tracti ad caudã muli furca ſuſpendantur: & bona publicentur.

Qui ex propoſito,ſiue mas,ſiue fœmina ſit:quicquam fecerit, ob quod ſit ſecutus aborſus: ſi fœtus erit animatus: capite plectatur:lin minus:ad triremes relegetur in tempus,aut alia pœna arbitratu Magiſtratus mulctetur.

Si quis ideo quempiã occiderit, aut occidi mandauerit,vel dolum quò occidatur cõmiſerit, vt occiſi potiatur hæreditate, ſiue ex teſtamento, ſiue ab inteſtato, vel ex fideicõmiſſo ad ſe prouenienti:ipſo iure re:& nomine cadat:& ſit excluſus ab ea:deuoluatúrque ad ſequentes in gradu, vel ad alios: ad quos pertinebit: ita vt neque in proprietate,neque in vſufructu ratione poteſtatis vllum ius in eis aliquo tempore conſequatur: ijs tamen ſemper ſaluis; de quibus in ſtatuto de ſucceſsionibus ab inteſtato.§.inſuper ſtatuimus: eſt conſtitutum. Eadémq; pœna mulctetur, qui vxorem, vel nurum occiderit, aut occidi mandauerit: dolúmve quò occidantur, cõmiſerit, vt ex dotibus, vel earum augmento quicquã percipiat: aut ad ſe aliunde poſsit quomodolibet peruenire. Parricidæ,& quicunque parricidij tenentur:ex forma iuris communis puniantur.

Quiſquis ſiue mas, ſiue fœmina in mortem cuiuſpiam conſpirauerit:eiuſve ſceleris patrandi particeps fuerit,vel ope, aut conſilio iuuerit: ſi facinus non erit admiſſum, nec ventum ad actum facto proximũ: det fiſco trecentas libras intra triginta dies poſt condemnationem:vel,ni ſoluerit:extra vrbem & diſtrictum exulet, aut triremibus mancipetur in tempus arbitratu Magiſtratus ſtatuendũ. Si facinus erit admiſſum, vel ventũ ad actũ facto proximũ: plectatur vnuſquiſque pro qualitate admiſsi ex forma huius capitis: & aliorum in quibus de hoc cauetur. Veruntamen

ſi quis

si quis horum: siue principalium; siue participum ante admissum facinus id Magistratui palàm fecerit: is omni pœna rei: & personæ ipso iure tunc censeatur absolutus, & amplius dimidio numariæ pœnæ alijs sontibus irrogandæ donetur.

De Genuensibus, vel districtualibus extra vrbem Genuam: & districtum homicidium committentibus. Cap. IX.



I ciuis Genuensis, vel districtualis extra vrbem Genuam & districtum: ac loca subdita ditioni Genuensi quempiam occiderit: qui nec ciuis sit, nec subditus: abstineat Magistratus per accusationẽ: vel inquisitionem: aut alio quouis modo aduersus eum agere: præterquã ad petitionem, vel denunciationem illius tantùm, qui suam, vel suorum iniuriam prosequitur.

De veneficis. Cap. X.



I quis sciens per se, vel per alium venenum alicui propinauerit, dederitvé, ob quod vel is interierit, vel inhabilitatem membri iudicio physicorum contraxerit: capite plectatur qui propinauit, vel dedit: bonaq; ex duabus tertijs partibus fisco inferantur; reliquum cedat debilitato, vel hæredibus, si interierit.

Qui poculum amatorium per se, vel per alium dederit, quãuis dolo non fecerit: nec ij, quibus dederit, siue mas sit, siue fœmina, in aliquo læsi fuerint: tamen quia res mali exempli est: virgis per vrbem cædatur: & candenti ferro nota in facie inuratur, vel nasus ei, aut auris præcidatur: & extra vrbem Genuã, & districtum perpetuo exilio damnetur. Si ob id in infirmitatem inciderint: excæcetur: Sin interierint: vltimo adficiatur supplicio. Eisdémque pœnis plectatur quisquis eos ope, aut consilio fouerit.

Qui verò in lecto, aut aliqua domus parte, aut personæ, vel in vestibus quicquam interposuerit, vel interponi curauerit: quod

ad maleficã artem strigum vel incantatorum pertineat: propter quod quis sensum, mentem, vel memoriam amisisse credatur, vel à moribus consuetis deuiasse, aut modo aliquo læsus fuisse: vltimo plectatur supplicio, vel ad id vsque arbitratu Magistratus: ipse & eiusq; criminis particeps, & conscius, ac quiuis alius, qui magisterium vel operam eiusmodi maleficis artibus faciendo, vel docendo præstiterit. Aduersus quos Prætor, vel Magistratus plenum arbitrium habeat agendi, torquendi, & ad vltimum supplicium condemnandi, vel ad id vsque pro qualitate admissi.

## De Assasinis. Cap. XI.



Sasinus, qui quocunque modo quempiam occiderit, vel animo occidendi vulnerauerit, quod præsumatur, nisi probauerit contrarium, vel qui occidere voluisse confessus fuerit, & ad aliquem actum peruenerit: eum scilicet percutiendo, vel vulnerando, quem volebat occidere, conuictus trahatur ad caudam muli ad locum vsque supplicij: & ibi furca suspendatur. Si apprehensus nõ fuerit: assasinij damnatus extra vrbem & districtum perpetuo mulctetur exilio: bonaque publicentur, & diuidantur quemadmodum capite sub rubrica de homicidio continetur. Si deinde apprehensus fuerit: eo, quo dictum est: adficiat supplicio. Itidem qui percusserit, vel vulnerauerit: quanuis nõ animo occidendi, sed iniuriã inferendi fecerit: si vel mors, vel membri debilitatio ex percussione fuerit subsecuta, aut ex vulnere euidens cicatrix in facie perpetuo remansura. Vbi nihil horum contigerit, sed duntaxat sit vulnus illatum: emisso sanguine: triremibus in quinquennium mancipetur, vel manus ei præcidatur. Et si apprehensus non fuerit, perpetuo exul in dictas pœnas damnatus publicetur. Si nihil sanguinis fusum fuerit: det in pœnam quingentas libras, vel remo addictus ad vincula nautica in biennium mancipetur: nisi intra decem dies post cõdemnationem soluerit, aut extra vrbem Genuam, & districtum in quinquennium relegetur.

Assasi-

Assassinus, qui cuiuspiam occidendi vel offendendi mãdatum non inuitus susceperit: quanuis ad actum facti nõ peruenerit: modò sit delictum fassus, vel de eo cõuictus, soluat quingentas libras: vel triremibus in triennium vsque ad decennium mancipetur, nisi intra decem dies post condemnationem soluerit, aut extra vrbẽ Genuã & districtum relegetur in tempus arbitratu Magistratus statuendum: dum breuius non sit quinquennij. Quòd si mandatum prodiderit Magistratui: antequam sit delatus, vel accusatus: & qui mandauit, ex delatione fuerit conuictus: extra noxam sit, & pœnam: idq́, habeat, quod facinoris patrandi gratia inter ipsum, & eum, qui mandauit, conuentum fuerat, & amplius dimidium numariæ pœnæ: qua, qui mandauit, damnabitur. Assassinum autem eum censemus: qui, accepto precio, eiusvé accipiendi spe: quidpiam eorum delictorum, quæ suprà meminimus: patrandum susceperit: quivé publica voce, & fama dicitur assassinus, & assasinium commisisse, ac illum: qui accepto precio, vel accipiendi spe assassinium committere diceretur voluisse.

Qui sciens assassinum receperit: quivé ad maleficium cõmittendum ope, aut consilio iuuerit: eisdem pœnis plectatur, quibus plectitur assassinus. Sed postquam delictum fuerit cõmissum, nisi intra biduum post receptionem: assassinum Magistratui tradiderit, vel ab eo, vt capiatur, operã efficacem nauauerit: si assassinus capite plectendus erat, eo supplicio, & ipse adficiatur, aut in perpetuum triremibus mancipetur, vel perpetuo exilio arbitratu Magistratus relegetur pro qualitate delicti & personarum. Si verò assassinus secus quàm corpore mulctãdus esset, qua pœna debuisset, ea is mulctetur, qui illum receperit.

Si quis autem in vrbe Genua, vel dominio Genuensi, aut extra vrbem, vel dominium per se, vel per alium quid maleficij assasinium patrandum mandauerit, & deinde in vrbe Genua, vel dominio Genuẽsi delictum cõmissum fuerit, ad caudã muli tractus ad locum vsque supplicij furca suspẽdatur. Eaq; pœna adficiatur, qui siue in vrbe Genua, siue in dominio Genuensi, siue extra per se, vel per alium mandauerit, quamuis delictum extra vrbem Ge-

nuã; vel dominiũ Genuense deinde fuerit perpetratum: modo sit in Genuensem ciuẽ, vel Genuensis dominij, aut in eum, qui degit Genuæ, vel in Genuensi dominio. Itẽ qui mandatũ susceperit, aut qui depositũ præmiũ, vel obligationem sciens ea de re receperit, aut ea, vt cõmittatur: spoponderit, vel qui horum nuncius fuerit, aut in his modo aliquo se inter mandantem, & mandatariũ inter posuerit: quivé opẽ, consiliúmve præbuerit: nisi is: de quo occidendo, vel offendendo fuit mandatũ: per sanctiones nostras impunè lædi, vel occidi potuisset. Tunc autẽ nulli sit pœnæ obnoxius. Nullus tamen assassinus cuiusuis generis ex supradictis dãnari per cõtumaciã queat: nisi prius publica voce & fama cõstiterit: eum vel delictum cõmisisse, vel, ab alijs vt committatur, curasse. Si quis autem falsò, vel per calumniam quempiam assassinij reum fecerit: vel detulerit, aut quidpiam maleficij per assasinium cõmittendũ alteri mandasse denuntiauerit: det in pœnam quingentas libras, cedatq; dimidium fisco, reliquum accusato, vel delato.

## De percutientibus. Cap. XII.


Visquis, siue ciuis Genuensis, siue districtualis, vel exterus: aliquo armorũ genere, aut alia re ad percutiendũ apta quẽpiam adortus fuerit, nec percusserit, quinque libris vsque ad quinquaginta mulctetur, vel fustiget, nisi intra triginta dies post condẽnationẽ soluerit, aut semel fidiculis torqueatur, vel in carceribus: donec soluerit: detentus seruetur: sed si intra quindecim dies ab illo: quo eũ adortus fuit: pacẽ cũ eo inierit: vsque ad decẽ tm̃ mulctetur. Si percusserit, sanguine nõ emisso: soluat decẽ vsque ad centũ: nisi ad suã fecerit defensionẽ: quod in quocunqe casu eorũ: quæ hoc toto capite continentur: intelligi volumus. Si sãguis emissus fuerit, nec vulnus sit mortiferũ, neque os fractũ, nec dolo, vel ex proposito illatũ, sed in rixa, aut calore iracundiæ, soluat decem, vsque ad ducentas. Et si ante condemnationẽ pacificatus fuerit cũ offenso: det tm̃ quinque vsque ad centũ. Ni soluerit intra triginta dies post condemnationem: det

du

duplum in vnumquodq; delictũ ex prædictis, vel in annum vsque ad triennium relegetur pro qualitate admissi. Si citra rixã, & ex proposito percusserit, nec vulnus sit mortiferum: soluat viginti vsque ad quingentas, & amplius exilij triennij pœnam patiatur: nisi intra id temporis metas cõsensus partium abolitionem popo scerit. Tunc.n. soluta pœna, liber sit ab exilio. Quòd si non ex proposito, nec dolo, sed in rixa, vel calore iracũdiæ percusserit: & vulnus sit mortiferum: det triginta vsque ad trecentas, & triennium exul & extra vrbẽ Genuã, & districtum. Sed si intra id temporis pacem cum offenso, vel hæredibus habebit: pœna soluta, ab exilio liberetur. Si vulnus erit mortiferum, doloq; & ex proposito illatum, soluat centum vsque ad mille, & amplius quinquennij exilio extra vrbem Genuam & districtum mulctetur, vel triremibus in triennium mancipetur. Et si pacem interea cum offenso habebit, pœna soluta, liber sit ab exilio, & triremibus.

Qui ex proposito per se, vel per alium quempiã in facie percusserit, aut vulnere adfecerit, ex quo euidens cicatrix remaneat, soluat trecentas libras vsque ad mille, in vnumquodque vulnerum, & ad triremes in triennium relegetur pro qualitate delicti, & cõditione personæ, præsertim si in mulierem honestæ conditionis id facinus erit admissum. Pacificatus tamen cum offenso, vel hæredibus ipso nõ superstite, & soluta pœna, à triremibus liberetur. Qui verò dolo, & animo percutiendi (quod præsumatur nisi probetur contrarium) aliquo armorum genere, aut alia quauis re ad percutiendũ, vel vulnerãdum apta quẽpiã in domo eius habitationis adortus percusserit, quãuis non sauciauerit, manus truncatione plectat̃, vel ad triremes in decenniũ relegetur. Sed si vulnerauerit, vltimo supplicio adficiatur, vel triremibus perpetuo mãcipet̃.

Qui balista, arcũ ve, aut sclopis quempiam adgressus fuerit animo nocendi: qui præsumatur: nisi probetur contrarium, & displo serit: vltimo adficiatur supplicio. Si apprehensus non fuerit: tanquam homicida extra vrbem Genuã, & districtum perpetuo mulctetur exilio: alijsque pœnis omnibus subiaceat: quę capite de Homicidio sunt constitutæ.

Laruato

Laruato verò, vel tincto, aut personato, vel adeo deformato, vt dignosci nequeat: qui armis, aliavé re ad offendẽdum apta quempiã adsilierit, nec vulnerauerit, manus amputetur, vel triremibus mãcipetur in triennium. Si vulnerauerit, vltimo adficiatur suppli cio. Et si apprehensus nõ fuerit: tanquàm homicida omnibus pœnis sit obnoxius capite de homicidio contentis: & extra vrbem: & districtum perpetuo mulctetur exilio.

Si cui ex percussione, vel vulnere accepto lumen oculi adẽptũ, vel nasus, brachium, pes, manus, aut tibia truncata fuerit, vel is in eorum aliquo debilitatus, vt more solito se de eo iuuare nõ possit; duplicentur pœnæ isti: qui percussit, vel vulnerauit hoc in statuto contentæ: quæ ex sui natura possunt duplicari. Eisdémq; adficiantur, qui in sacris templis, vel monasterijs, vel alio sacro loco, aut in foro, vbi mercatores conueniunt vulgariter nominato li Banchi, vel in Palatio comperarum Sancti Georgij, aut coràm Magnificis Supremis Syndicatoribus, Extraordinarijs, Prætore, vel Auditoribus Rotæ quempiam percusserint, vel vulnerauerint.

Qui corã Illustrissimo Duce, & Magnificis Gubernatoribus, aut eorum quopiã gladium, vel aliud armorũ genus euaginauerit animo offendendi, qui præsumatur, nisi probetur cõtrarjũ: capite plectatur, & bona publicentur. Eadémq; pœna adficiatur: quisquis aliquo in loco habitationis Illustriss. Ducis euaginauerit: & percusserit emisso sanguine. Si emissus nõ fuerit, manus ei præcidatur: Eaq; pœna etiã teneatur: quisquis in aula Magnificorum Procuratorum, vel in platea Palatij euaginauerit, & percusserit emisso sanguine: Sed si non percusserit, triremibus in triennium mãcipetur, vel relegetur in quinquẽnium extra vrbẽ & districtũ.

Si quis alapa, pugnové quempiã in facie, vel in capite cæciderit: baculové percusserit: fisco pendat triginta libras vsque ad trecentas: & vrbe Genua ac dominio Genuensi, excedat, non nisi anno exacto, vel pace interea cũ offenso, vel hæredibus inita, pœnaq; soluta reuersurus. Si verò ciuem Genuensem honestæ conditionis ceciderit: manum ei præcidito, vel, ad certum locũ extra Genuense dominium eum in triennium relegato, aut in annum vsque ad

trien

trieniũ addictũ remo ad triremes mancipato pro conditione personæ:nisi euocatus à Magistratu corã,vel ad domũ suæ habitationis intra decẽ dies se in carcerẽ pręsentauerit,& in ea detentus pmanens nulla fideiussione dimittendus:intra alios quadraginta mox post eos sequentes:pacẽ cũ offenso vel hærede habuerit. Tũc aũt soluat fisco in pœnã ducentas libras, vsque ad mille arbitratu Magistratus. Ni soluerit,in annũ vsque ad bienniũ relegẽt ad triremes, vel dñio Genuensi extrusus annum exulet vsque ad triennium:eisdémq; pœnis teneatur qui eiusdem cõditionis ciuem percusserit baculo:sed si vulnus erit mortiferum,& ex proposito illatum: maiorq; timor mortis, quàm spes salutis, laqueo suspendatr.

Si quæ viles personæ pauperrimę vel abiectę se inuicem conuicijs adficientes,alapis, pugnisvé cęciderint, vel capillis traxerint: & sanguis ab ore, vel naribus emanauerit, vt solet in rixis euenire:liceat Magistratui huiuscemodi delinquentes punire:tũ ex forma hoc toto capite cõstituta:tum ea omissa: & alio quouis iuris ordine non seruato: in eos vel fustigatione animaduertere, vel eos numaria pœna mulctare,aut ad catenã vinctos in horas statuendas exponere: os impudentię prębituros contumelijs turbę circũstantis,& conuicijs,aut alia leuiori adficere pro modo culpę,& cõditione personę,nullo pręeunte processu. Ab his autem pœnis excipimus dños,dñorúmq; filios,qui seruos proprios pcusserint,vel percutiendo debiliores reddiderint: cõtra quos decernimus seruari quicqd traditum est capite de seruorum excessib⁹ cõpescendis.

## Quòd percutientes & vulnerantes in carceribus detineantur. Cap. XIII.



Trudatur in carcerem quisquis quempiã percusserit, vel vulnere adfecerit: si apprehensus fuerit, nec ante dimittatur, quàm medicorum relatione vulnus mortiferũ nõ esse cõstiterit. Vtq; hoc fideliter innotescat:mittat Magistratus duos medicos ad vulneratum visendum: Vnum physicum, & alterum chirurgum:


gum:hique duo iuncti eo cum chirurgo,qui vulneratum medebatur,visitent eum,& accuratè perpendant,sitné vulnus mortiferum:nec ne. Et si omnes,vel duo saltem eorum iureiurando adacti testabuntur esse mortiferum:non dimittatur è carceribus: qui percussit; sin non esse testati fuerint: præstita approbata cautione de stando iuri: & iudicatum soluendo,liberetur. Idémque seruetur in Riparijs & districtu: in quibus is medicorum numerus haberi poterit.

De electione Physicorum, & Chirurgicorum. Cap. XIIII.



T autem de Physicis,& Chirurgicis sit prouisum, qui percussos vel vulneratos visant: Illustrissimus Dux, & Magnifici Gubernatores vnũ Physicum, ex collegiatis eligant: & alterum Chirurgum,qui vnà cum alio vulneratum medente, se ad eum conferant: eaque omnia exequantur: quæ dicta sunt capite præcedenti.

De percutiente aduersarium suum. Cap. XV.



I quis litigans actor,vel reus aduersarium suum coram Magistratu de causa cognoscente per se, vel per alium percusserit: & ad percutiendum primus fuerit:ipso iure cadat à lite,& causa, pro eo,quod ad se,& sui præiudicium pertinet. Itidẽ, si absente Magistratu percusserit, effuso sanguine:si effusus non fuerit: duplicentur percussori pœnæ statutæ capite de percutientibus. Procuratoribus autem alienas lites agentibus(si eos:contra quos agunt causas: corã Magistratu de eis cognoscente percusserint,& ad percutiendum primi fuerint)duplicetur pœna capite de percutientibus cõstituta. Sed si mãdato,vel cõsensu principalis factum fuisse probabitur:mulctetur etiã prin-

cipalis:quẽadmodum suprà de principali dictum fuit:præter pœnas contra percutientes,& vulnerantes constitutas.

De percutiente nuncium in citatione reali, aut verbali, vel iniuria adficiente. Cap. XVI.



Vi nuncium quaruncunque curiarum siue ciuilium, siue criminaliũ se citare volentẽ iniuria adfecerit,vel vim percutiendo:percutivé mãdando intulerit,soluat quindecim libras vsque ad quinquaginta pro qualitate admissi & personæ: præter aliã pœnã constitutã capite contra percutientes,& iniuriã inferentes.Dictúmq; nuncij iureiurando adacti pro plena ꝓbatione habeaẽ. Nihiloq; minus is:ea in cã pro citato habeatur: pro qua citari debebat,ac si corã citatus fuisset.

De impẽsis vulnerato à vulnerãte reficiendis. Cap. XVII.



Oluat impensas vulnerato quisquis quẽpiã percusserit, vel vulnerauerit quas curãdi vulneris gratia vulneratus quomodocũque fecerit, & quicquid dãni ex operibus intermissis, ac alijs quibuscũque propterea passus fuerit: prout ab vrbis Genuæ Prætore: & maleficiorum Iudice coniũctim æstimatũ erit. Et hi deinde exequantur quacunque appellatione,reclamatione,& cõtradictione remota. In districtu verò æstimet Magistratus,qui de causa cognouerit,& exequatur.

De conuicium faciente. Cap. XVIII.



Vi Magistratui, vel Officiali ordinario,delegatové,aut arbitro,vel arbitratori cõuiciũ fecerit,aut eorũ quempiã verbis iniuriosis adfecerit, vel ex causa eius, quod agũt,muneris eis fuerit comminatus,soluat qnquaginta libras vsque ad qngẽtas & ampli⁹ possit in bienniũ relegari Si pugno vel calce percusserit, non effuso sanguine: det vsque ad octin-

octingentas. Si in facie, vel in capite alapa, vel pugno ceciderit: det centũ vsque ad mille arbitratu Magistratus. Si quo accedente armorũ genere sanguinẽ effuderit, soluat vsque ad mille, & possit vsque in bienniũ relegari. Si verò ex proposito, vel dolosè ferro percusserit: manus ei præcidatur. Et si in rixa, vel calore iracũdiæ soluat trecentas libras vsque ad mille: & vsque in quinquenniũ relegetur arbitratu Magistratus pro modo culpæ: & personarũ conditione: habita in his omnibus semper ratione publici exẽpli. Vbi verò ex percussione, vel vulnere membri debilitatio subsequatur: duplicetũ pœna deliquenti ex forma capitis de percutientibus constituta: luatq; corpore non habens in ære: bisq;, térve fidiculis torqueatur, aut exulet in tempus arbitratu Magistratus statuendum. Omnes aũt Magistratus aduersus huiusmodi delinquentes agere possint ad definitiuam vsque sententiam tantùm. Sententiam verò ferat vrbis Genuæ Prætor, & exequatur: si Magistratus: qui læsus fuerit: ius dicit in vrbe Genua. Sin in Riparijs, vel districtu: cõdat læsus processum duntaxat vsque ad definitiuam sententiam, nec pronunciet; eúmq; exinde ad Illustrissimnm Ducem, & Magnificos Gubernatores transmittat, qui ministrari faciat iustitiæ complementum. Si verò Prætori vrbis Genuæ illata iniuria fuerit: agat ipse in causa: examinetq; & cognoscat, ac definiat prout sibi videbitur: seruata tamen forma huius statuti: præterquam si pœna corpori irroganda foret: tunc autem, formato processu: cõsulat Illustrissimũ Ducem, & Magnificos Gubernatores, & de eorum consilio iudicet.

Si ciuis Genuensis honestæ conditionis alteri ciui etiam honestæ conditionis fecerit conuicium, vel fuerit cõminatus: det quinque & viginti libras, vsque ad ducentas pro modo culpæ, & personarũ conditione: & amplius annuo exilio possit mulctari, nisi pacẽ interea habuerit cũ offenso. Sin ciuis humilioris conditionis alteri ciui honestæ conditionis: soluat triginta vsque ad trecentas: vel fustigetur: nisi intra triginta dies post condẽnationẽ soluerit, aut bis fidiculis torqueatur, vel tres mẽses seruetur in carcere pro qualitate admissi & personæ. Si verò humilis conditionis alteri etiam

etiam humilis:decem pendat vſque ad viginti.Sed ſi horum quidpiam coram aliquo Magiſtratu vrbis Genuæ, vel diſtrictus commiſſum fuerit,aut in foro publico dicto li Banchi,vel in ſacris tẽplis aut in Palatio Illuſtriſsimi Ducis, & Magnificorum Gubernatorum, vel alio Magnificorũ Protectorum cõperarum Sancti Georgij,aut in domo,vel ante domum habitationis offenſi:duplicentur iſti:qui deliquerit pœnæ:quę duplicari poſſunt.

Doctori verò Genuẽſi collegio adſcripto ſi quis nec re,nec verbo iniuria adfectus, nec laceſsitus iniuriam, vel conuiciũ fecerit ex cauſa eius officij:pręter alias pœnas cõſtitutas ſoluat ſcuta qnque & viginti auri vſque ad centũ:cedatq; dimidium fiſco:reliquũ doctorum collegio, vel ter fidiculis torqueatur, & credatur dicto doctoris cum iuramento: vnà cum alio teſte fidedigno. poſsitque agi tàm ad petitionem offenſi:q̃ ex officio à quocũque Iudice cauſarum criminalium.Reus aũt non prius audiatur:quàm ſe in carcerem cõſtituerit: & in eo detentus cauſam dicat: ac ſe defendat. Si verò quempiã ex cauſidicis collegiatis iniuria adfecerit: nulla ipſe laceſsitus, ſed ex cauſa duntaxat à patrocinio cauſarum proueniente: mulctetur quinque ſcutis vſque ad quinque & viginti: dimidiúmque cedat fiſco:reliquum cauſidicorum collegio: & procedatur ſummatim per Prætorem.

### De extero: qui ciui Genuenſi,vel diſtrictuali extra vrbem Genuam & diſtrictum vim intulerit. Cap. XIX.



I alicubi extra vrbem, & diſtrictum quis exterus ciui Genuenſi,vel diſtrictuali iniuriã, vel offenſã, aut vim in rem,vel in perſonã intulerit: isq; deinde ad vrbem Genuã, vel ad loca diſtrictus venerit liceat vim paſſo, vel ei q ſuorũ iniuriã ꝓſequit̃: ea de re vrbis Genuæ Prætori,vel Magiſtratui diſtrictus querelã facere,& cõtra eũ agere.Pretori verò,vel Magiſtratui:eũ capere:captum in carcerem trudere:& ex forma ſtatutorum ius dicere:ac ſi

delictum Genuæ commissum foret: & ex forma iuris communis punire.

## De Furibus. Cap. XX.



Vi valorē librarum quinque Genuensis monetæ, vel minus furatus fuerit: decem libras soluat, vel minus: pro modo culpæ: quantitate rei sublatæ, loco, ętate, & tempore. Ni soluerit intra decem dies post condemnationem: fustigetur vsque ad Sanctum Antonium. Si furtum quinq; libras vsque ad decē excesserit: det quinque & viginti, vel minus arbitratu Magistratus. Ni soluerit intra decem dies, fustigetur vsque ad Sanctū Lazarum. Si erit plus decem vsque ad quinque & viginti: fustigetur vsque ad sanctum Lazarum. Si plus quinque & viginti vsque ad quadraginta: auris sinistræ amputatione plectatur. Si amplius quadraginta vsque ad quinquaginta: stigma candenti ferro inuratur in facie: quod celari nō posfit. Si suprà quinquaginta vsque ad centū truncent̄ eis nares, & nota in facie inuratur, & si plus centum fuerit, furca suspendatur. Sed si furtū Genuæ intra portū cō missum foret: vel in foro: vbi mercatores conueniunt dicto li Bāchi, aut in sacris tēplis: pœnæ numariæ duplicent̄ delinquenti. & si non soluerit: luat corpore. Omnes autem hæ pœnæ in primum delictum censeant̄ irrogandæ. Vbi verò quis plura cōmiserit: si de nullo mulctatus fuerit: recenseatur summa numariæ pœnæ pro omnibus cōmmisis debita, & soluat: Ni soluerit: plectatur corpore. Itidem si de ali quo fuisset mulctatus: dum summa omnium libras vigintiquinque vsque ad quinquaginta nō excedat. Quòd si excesserit: furca suspendatur. Et si cōplures vnā eādémq; rem: cōplurésve res simul furati fuerint: quarum ęstimatio sit minor centum libris: vnusquisq; eorum vel ęre mulctetur, vel luat corpore, quemadmodum supra dictum fuit. Sin maior, ita vt ad singulos ꝓ rata parte vsque ad centum libras pertineret: triremibus in biennium vsque ad quinquennium mācipentur. Et si vltra eas, laqueo suspendantur. Minores verò annorum viginti, & maiores sexdecim

decim, si furtum cō miserint, fustigentur, vel relegentur pro qualitate admissi, & personarum.

Manticularij furunculi, qui de nocte vestes: pallia, vel capitia à transeuntibus per vias surripiunt: vel de die confertę multitudini se inferentes marsupia vel secant, vel artificiosè surripiunt: in primum delictum triremibus in annum vsque ad triennium mancipentur. Et si rursus deliquerint, laqueo suspendantur.

Si quis alienā domum: vel apothecā, aut megacenum: vulgò magazenum appellatum animo furandi effregerit: quod præsumat, nisi probetur contrarium, & supra valorē decē librarum furatus fuerit, furca suspendat̄. Si intra decē, fustigetur, & remo addictus ad vincula nautica in biēnium relegetur. Si effregerit, & trāseuntium metu, aut alio quouis perculsus nihil abstulerit, fustiget̄, & annum exul extra vrbē & districtum: Sed si in horum aliquo vis cum armis accesserit: quāuis nihil abstulerit, furca suspendatur.

Qui verò sciens ad hæc furta, & ad alia quæcunque supra memorata cōsilium dederit, vel opem tulerit: eisdē pœnis adficiatur: quibus principales diximus adficiendos. Hisq; omnibus in casibus restituat domino fur ablatum, si extiterit: & si non extiterit: quanti fuerit æstimatum. Itidē ære, vel corpore delicti pœnā pendat. Vbi tamen corpore luerit: seruetur in carceribus Malæpagæ ad beneplacitum dānum passi: donec satisfecerit. Sed si summo supplicio erit plectendus: non differatur executio: propterea quòd nō dum soluerit, sed fiat: restetq; actio dānum passo aduersus bona. Est autē summum supplicium (qm̄ de eo multis in locis facta est; & facienda mentio) ad furcā dānatio: Item viui concrematio: quā quàm summi supplicij appellatione meritò continetur: tamen eò ꝙ postea id genus pœnæ: præsertim hæreticis cōburendis: adinuentum est: posterius priori visum est. Item capitis amputatio: deinde ꝓxima morti ad triremes perpetua relegatio. De furto autē extra ditionem Genuensem cōmisso nemo coerceatur: etiā ꝙ Genuæ: vel in districtu rem surreptā contrectasset. Vrbis tamen Genuæ Prætor: & quiuis Magistratus in districtu: quādocunque fuerit requisitus: & summatim compererit rem surreptam extra di-

strictum apud furem in vrbe Genua, vel districtu extare, vel extitisse: eũ in carcerem trudat, & ad eam restituendum domino cõpellat, vel ad soluendum, quanti erit ęstimata. Vbi verò ea ciui Genuensi, vel districtuali surrepta fuisset: aduersus furẽ criminaliter agat. Qui verò rem furto sublatã sciens emerit: in primũ delictũ: det duplum precij rei æstimatæ: in secundum pendat triplum: & si tertiò deliquerit: pœna furti criminaliter plectatur, vel pecunia mulctetur: perinde ac si ipse furtum commisisset.

Si seruus dño suo, vel ei: qui ipsum pro seruo possidet: quicq̃ furatus fuerit: & nullũ in furto adhibuerit sociũ: non nisi ex dñi voluntate mulctet. Sed si quẽ adhibuerit: quisquis is sit (nihil.n.refert vtrũ sit seruus, an liber) mulctetur ex forma huius capitis: nec domini voluntas quòminus fiat: ei quicq̃ opis prestare tum quæat.

## De committentibus furtum in seruo, vel serua. Cap. XXI.



Qui seruã, vel seruũ domino furtim abduxerit, vel in domum suę habitationis fugitiuum receperit, vel occuluerit, aut post fugã è domo domini sociauerit, vel quouis alio titulo alienauerit: furca suspẽdatur, & soluat domino precium serui duûm proborum virorũ iudicio, quos Magistratus elegerit de causa cognoscens. Qui verò à tibia, vel à collo serui anulum ferreum dempserit præter domini voluntatem: soluat domino precium serui eo quo dictum est: modo æstimandum, & amplius det fisco in pœnã quinquaginta libras. Domino autem semper restet integrũ, ac saluum dominium sui serui, vel serue: Itémq; ius aduersus eum, qui deliquit: & eius bona: pro precio vniuscuiusque eorum, qui abductus fuerit. Et qm̃ horum probatio admodum difficilis redditur: vt facilius elucescat veritas: potestatem Magistratui facimus in prædictis omnibus agere, quẽadmodum ei videbitur. Serua autem, vel seruus pro eo: quod attinet ad contenta hoc in capite, & duobus sequentibus: is censeatur: qui pro serua, vel seruo à quocunque est habitus, vel possessus.

De

De inducentibus ad fugam alienum seruum, vel seruam. Cap. XXII.



Lterius seruam, vel seruum quisquis ad fugiendum induxerit, aut ab vrbe, & districtu fugientē terra, marive asportauerit præter domini voluntatē: det centū libras, vel præcidatur ei manus: si intra dies triginta post condēnationē non soluerit. Seruo aūt stigma inuratur in maxilla: si redactus erit in domini potestatem. Eadémq; pœna adficiatur: qui: dum horū quēpiam asportaret: deprehensus fuerit. Nec cuiq̃ domino nauigij quātumuis magni, vel parui liceat absque schedula dn̄i seruorum subscriptione: & sigillo munita seruum, vel seruam id intra recipere. Si receperit: det fisco in pœnā centū libras, & amplius dn̄o dimidiū, quanti seruus, vel serua æstimabitur. Qui verò seruum, vel seruā decēmillia passuum ab vrbe Genua, vel in districtu amplius viginti à domini habitatione distantem: schedulāque modo dicto nō habentem inuenerit: & captum, vel captā domino tradiderit: habeat ab eo decē libras, & si capti extra districtum fuerint, viginti. Cogatúrque ad solutionem confestim à Magistratu: qui in his summatim agat sine libello, & pignore banni.

De seruorum excessibus compescendis. Cap. XXIII.



I seruus de nocte domū ciuis Genuensis adiens, vel alterius bonæ famæ Genuæ habitantis actus in ea minus honestos egerit, vel suspectos dicto vnius testis: alijs verisimilibus accedentibus coniecturis, & ab eorum aliquo, vel ab alijs eorum mandato ea ipsa in domo, vel circa eā vulneratus fuerit, aut occisus, extra noxam sit & pœnā: qui fecit, vel fierit mandauit, nec, nisi ad soluendum precium serui cogi possit, idque ad libras vsque quinquaginta. Domum autem adijsse intelligatur, qui ad hostium domus accesserit, vel porticum in-

gressus fuerit, aut per scalas ascenderit, vel ostium domus, aut fenestras pulsauerit. Si ciuem Genuensem seruus inermis fuerit adortus,& citra mortē à ciue percussus, vel vulneratus, aut membro aliquo debilitatus,nulla pœna ciuis adficiatur: Sed si mors ex vulneribus subsequetur:arbitratu Magistratus puniatur:præterq̃ corpore. Si verò armatus in ciuē insilierit: & seruus occisus fuerit:nulla pœna ciuis mulctetur. Si dominus serui baculo, aut alio instrumento ferrum non habente per se,vel per alium seruū verberauerit: nullam pœnā subeat: quanuis ob hoc seruus deinde se vel dedisset præcipitem, vel sibi manus iniecisset,vel membro aliquo esset debilitatus,vel mortuus. Sed si ferro percusserit percutivé mandauerit, propter quod seruus interierit:arbitratu Magistratus mulctetur:præterquàm corpore pro conditione personæ. Si seruus eum: à quo mandato domini vapulauit, vel dominum, aut domini vxorem, vel liberos percusserit: aut in eorum quempiam manus inijciens ab eis: vel ab alijs tunc percussus, vel occisus fuerit: idq; ita esse dominus probauerit dicto eorū:qui tum:cū facinus patraretur erant in domo,siue serui sint,siue liberi quantumuis domestici,vel coniuncti:etiam à iure prohibiti testimoniū dicere (nam hos omnes ad huiusmodi facinoris probationem admitti volumus) nulli pœna sit ipse: nec qui eius mandato fecerit, obnoxius: Sed si non probauerit: arbitratu Magistratus mulctetur præterquàm corpore. Quisquis autem præter hos:quos memorauimus casus: aliosq; à iure prohibitos alienum seruum interfecerit: luat ære,vel corpore,aut summo adficiatur supplicio, vel ad id vsque pro modo culpæ: & amplius soluat precium serui dicto domini iureiurando adacti vsque ad libras centumquinquaginta.Si verò duntaxat vulnerauerit:det dimidium pœnæ: qua,si hominem liberum vulnerasset,mulctari debuisset. Sed si seruus liberum percusserit, vel citra mortem vulnerauerit: quouis supplicio citra mortem plectatur arbitratu Magistratus pro qualitate admisi. Et hæc omnia de genere fœminino etiam dicta intelligantur.

De

De Rapinis. Cap. XXIIII.



Vi dolo, vel vi, inermis, vel armatus à Coruo vſque ad Monacum, & à Iugo vſque ad Mare, ac in toto dominio Genuenſi rapinã cõmiſerit in via publica, vel qui alienã domũ, aut ædificiũ ad rapiendum inuaſerit tanq̃ viarum aggreſſor: & hoſtis publicus ad caudã equi tractus furca ſuſpendatur, & bona publicẽtur. Eadémq; pœna plectatur quiſquis ad actum facto proximũ peruenerit: quanuis non conſummauerit: ſi per eum: quò minus cõſummaret: non ſteterit. Si verò armatus, vel inermis vi quidpiã abſtulerit extra viã publicã: cuius æſtimatio ſit ſupra quinque & viginti libras, furca ſuſpendatur. Sed ſi intra eas: centum ſoluat vſque ad trecentas, vel exulet extra vrbẽ, & diſtrictum, aut triremibus mãcipetur in triennium arbitratu Magiſtratus. Hiſq; omnibus in caſibus reſtituat ablatum, vel eius æſtimationem.

De Sacrilegis. Cap. XXV.



Viſquis in Templo, vel Sacrario, aut quouis alio loco ſacro, in quo res ſacræ ſeruari cõſueuere: earum quidpiã furatus fuerit, conuictus dãnetur ſacrilegij, & furca ſuſpendatur. Si quis autem tabernaculum Euchariſtiæ cum Euchariſtia furatus fuerit, vel aliud quodcunque vas, in quo ſeruetur Euchariſtia, manus ei amputetur: muliq; ad caudã tractus in loco ſupplicij conſueto furca ſuſpendatur. Quod ſi rẽ non ſacrã, ſed cultui diuino dicatã: veluti thuribulum, crucem, miſſale, antiphonarium, breuiarinm, ornamenta altaris, vel indumenta ſacerdotalia, quę vulgariter paramenta dicuntur, vel alia his ſimilia in ſacrario, vel loco ſacro, aut alio loco, in quo ſeruari conſueuere, vel in templo, dolo ſurripuerit, & precium ſit intra libras quinque: in primum delictum fuſtigetur. Si rurſus deliquerit: præcidantur ei aures: Iterúmque fuſtigetur. Si exceſſerit quinque vſque ad decem: fuſtigentur, & aures amputentur. Si plus decem

decem vſque ad viginti, fuſtigetur, & triremibus mancipetur in annum, & ſi amplius viginti, furca ſuſpendatur.

Quòd incolę locorum Genuenſis ditionis teneantur ad damna illata in ſuis territorijs. Cap. XXVI.


I in aliquo locorũ territorij Genuenſis à Coruo vſque ad Monachum: & à Iugo vſque ad Mare, vel vltra Iugum quis iter facienti quidpiã prædatus fuerit: cogantur protinus incolæ municipiorum, & aliorum quoruncunque locorũ ditionis Genuenſis: in quibus fuerit admiſſum facinus ad reſtitutionem ablati: Itémq; ad ſoluendũ ſumptus: & damna, quæ propterea iter faciens paſſus fuerit: poſtquã ſiue per inquiſitionẽ, ſiue ex officio, ſiue alio quouis modo Magiſtratui de maleficio conſtiterit: & his incolis, ſeu iudici apud eos iuſdicenti delictũ fuerit denunciatũ: quocunque alio non obſtante ſtatuto: præterquã ſi eos, qui deliquerint, vel eorũ aliquos intra octo dies à delicto cõmiſſo in Magiſtratus tradiderint poteſtatẽ. Tunc aũt ad nihilum teneantur: quin potius (ſi quid ad furtũ detegendum ab eis fuiſſet impenſum) habeant actionem aduerſus eum, qui deliquit: & bona, ac contra quencunque alium: qui, vel illum hoſpitio recepiſſet, vel ope aliqua iuuiſſet poſt denunciationem rapinę: de qua veriſimiliter ad eum notitia potuerit perueniſſe. Prætor autem, maleficorúmq; Iudex in vrbe Genua, vel alius Magiſtratus in diſtrictu ad veritatem inquirendam: & ad eum, qui deliquit, & ad alium, qui recepit, capiendum: eorúmq; bona inquirendum in prædictis omnibus ex mero officio ſummatim agant, vt municipiorum, vel aliorum locorum indemnitati: quæ damnum in ſuo territorio illatum præſtiterint, ſit prouiſum.

Si ciuis Genuenſis, vel diſtrictualis alicubi extra diſtrictum cuipiam: qui hoſtis non ſit Reipublicæ: quid terra prædatus fuerit: conuictus dãnetur ad ablati reſtitutionem, & amplius ad ſoluendum tantundem fiſco. Nec maiori pœna mulctari queat: quanuis ex forma alicuius ſanctionis fortè aliter cautum foret: niſi ra

pina

pina in ciuem Genuensem, vel districtualem esset cõmissa. Tunc autem plectatur, ac si Genuæ facinus esset admissum, si vbi deliquit:de eo mulctatus non fuisset. Si verò quis terra, marive mortalium quempiã fecerit captiuum, vt eum ad se redimendum cogeret: inquirat veritatem iudex ex officio modis omnibus, & inuenta: summo supplicio criminis conuictũ adficiat, nisi captus: Reipublicę hostis esset, vel pirata.

Quòd nemo piraticam exerceat, nec furetur in littore maris. Cap. XXVII.



Emo ciuium Genuensium, vel districtualium, aut subditorum quomodocunque dominio Genuensi audeat qualecunque genus nauigij ad exercendum piraticam instruere, vel armare, nec ab alijs armatum, vel instructum conscendere. Qui contrafecerit:laqueo suspendatur: & ad ablati restitutionem teneatur: nisi probauerit coactus fecisse, aut Illustrissimi Senatus permissione.

Qui à Coruo vsque ad Monachum in littore maris rapinam commiserit intra quinque & viginti libras: duplum pręstet damnum passo, & tantundem fisco intra dies quindecim post condemnationem. Ni soluerit, manus ei pręcidatur, & si eas excesserit, summo supplicio adficiatur.

De recipientibus Piratas, vel Pręдones. Cap. XXVIII.



Emo Genuensium ciuiũ, vel districtualiũ cuiusuis conditionis:etiam corpus, vel collegium, aut incolarum cuiuscunque municipij vel castelli, à Coruo vsque ad Monachũ quodcunque genus nauigij piratę, vel pręдonis quantúmvis magni vel parui: etiam actuarioli, quod fragatam vocant: eorũ in portu, vel littore, aut eius hominũ quempiam in terram recipiat, cibaria pręstet,

vel prę-

vel prȩstari permittat, aut quid ei armorum vendat, vel cōmodet, aut vendi, vel cōmodari permittat, vel opem ferat, aut fauorē prȩstet. Qui contrafecerit: si priuatus erit: det in pœnā quinquaginta libras: posſitq; etiā corpore plecti. Si municipiorum, vel castellorum incolæ: centum præstent vsque ad quingentas: & amplius arbitratu Magistratus: nisi constiterit eos: néquod istorum nauigiorum genus in portum, vel littus, néve quis hominum eius in terrā reciperetur: prohibere potuiſſe. Et si horum aliqui eſſent eiusmodi: qui ad soluendum cogi à Magistratu Genuensi nō poſſent: vrbis Genuæ Prætor: quandocunque fuerit requisitus: & eorum aliquos Genuæ, vel in districtu vagari cōpererit: omnes apprehendi iubeat: & in custodia carcerum seruari: donec fiſco de his pœnis fuerit satisfactum. In quibus irrogandis consulat Illustrisſimum Ducem: & Magnificos Gubernatores: & prout iniunxerint: ita mulctam irroget.

De præstantibus fidem publicam Prædonibus. Cap. XXIX.



Visquis à Coruo vsque ad Monachum habitans: & à Nouis, Gauio, Palodio, Capriata, vel alijs in terris dominij Genuensis citra, & vltra Iugum, vsque ad Mare: in aliquo locorum: in quo ipse degat piratā vel prædonem: qui Genuensi, vel districtuali quidpiā fuerit prædatus: sciens receperit, vel recipi mādauerit, aut permiserit: quivé eis: eorúmve cuiq; fidem publicā dederit: insolidum teneatur ad satisfaciendum Genuensi vel districtuali quicquid damni prædo: vel pirata vnicuique eorum intulerit. In pari enim causa habendi sunt: qui cùm adprehēdere latrones poſſent: dimiserunt. Vrbis igitur Genuæ Prætor: & quiuis alius Magistratus in districtu: quandocunque ab aliquo: cuius intersit: fuerit requisitus, bona istorum: qui receperint, vel fidem publicam dederint: quȩ in vrbe Genua, vel in districtu eſſe compererit: sequestro tradi iubeat: eosque (si adprehendi poterunt) etiam detineri, & ex officio intra tempus statuendum cogat summatim sine libello, &

lo: & pignore banni ad soluendum damnum passis, vel eo elapso: prouideat vt eis de bonis sequestro traditis satisfiat; omni remota exceptione.

De ijs: qui de ære, vel re aliena aliter disponunt: quàm dominus statuit, vulgariter baratariam committentibus appellatis. Cap. XXX.



Voniam nõnunquam contingit, vt is, apud quem quid bonorum, vel pecuniæ est cõmendatum, aut depositũ. vel ad perferendum traditum: id aliter disponat, quàm dominus statuit, & dubitatum est: nunquid per inquisitionem: an denunciationem, an accusationem furti agi posset hâc dubitationẽ volentes tollere sancimus pœna extraordinaria nempe re, vel pecunia hunc esse mulctandũ. Furti aũt actionẽ ei duntaxat cõpetere: qui aut cõmendauit, aut deposuit, aut ad perferendum tradidit: eiusvé hæredi: ipso nõ superstite. Proinde, si horum quis ea volet agere: Magistratus ius dicat ex lege communi. & in conuictum criminis animaduertat: quemadmodum in ea de similibus cautum est: dum neque legi cõmuni, neque municipali propter accusationem quid incrementi, vel decrementi accedat.

De Monetis, Cap. XXXI.



Nterdictum omnibus esto in Genuensi dominio quicquam monetæ cuiuscunque generis per se, vel per alium cudere: præterq̃ Genuæ in æde monetaria habentibus facultatem ab Illustrissimo Senatu. Qui non paruerit: capite plectatur, & igni comburatur: quanuis nihil vitij sit in moneta excussa. Eadémq; pœna adficiatur: quisquis quid adulterinæ monetæ conflauerit, vel cuderit, aut conflare, vel cudere ceperit, vel, vt confletur, aut cudatur curauerit, vel opem ad id faciendum præstiterit: aut cùm prohibere posset: non prohibuerit. Item qui horum cuiquã adfuerit:

vel

vel de eo notitiā habens: intra quatuor & viginti horas: si Genuæ erit: sin in districtu: intra octo dies Magistratui non detulerit: & amplius bona vniuscuiusque eorum publicentur: cedantque fisco duę tertię partes reliqua accusatori. Domus autem: in qua hæc facta fuerint (si ad eorum: qui deliquere: quempiam pertinebit) demoliatur, & solo ęquetur.

Qui verò auro, vel argento quidpiā ęris monetati ilinierit: animo expendendi, quod prę sumat, nisi probetur cōtrariū plectatur corpore, vel summo supplicio, aut ad id vsque, vel pecunia mulctetur: arbitratu Magistratus pro qualitate admissi. Eadémq; pœna adficiatur, qui numos aureos, vel argenteos radendo, vel tingendo, aut alio quouis modo deteriores in pondere reddiderit. Et amplius in bonis eius ducentas libras vsque ad quingentas is cōsequatur: qui eum vel accusauerit, vel detulerit, si accusatus, vel delatus eo de crimine conuictus fuerit. Sed si nulla bona extarent, aut si quæ extarent: ęre alieno deducto, nihil esset reliquum: quinque & viginti libris vsque ad centum tunc à Magnificis Procuratoribus donetur. Typos verò ad imprimendū, quos hodie formas vocāt, vel quos ad eos formandos vulgariter Spontonos dicunt, siue in dominio Genuensi, siue extra facientibus bona publicentur, & summo supplicio adficiantur, vel ad id vsque plectātur arbitratu Magistratus. Eodémq; genere pœnę quicunque adficiatur: in cuius habitatione vel forcipes ad tondendum, vel crosoli, aut furnuli ad conflandum, aut quid aliud instrumentorū ad hęc aptorum inuentū fuerit. Nam vniuersis hęc oīa interdicta esse volumus, fabris exceptis, hmōi instrumentis in suis artificijs vtentibus; quos hisdem pœnis (si deliquerint) etiam mulctandos sancimus.

Adulterinę aūt monetæ siquid ad quempiam perueniet, id confestim vel ipse incidat, vel ab alio incidi faciat. Idipsúmq; præstet collyuista, seu (vt aiunt) campsor, aut argentarius faber, eo etiam inuito, à quo id monetæ quomodocunque accepisset. Si secus fecerint, soluat vnusquisque eorū quinque & viginti libras vsque ad centum, quoties deliquerit. Qui verò quinque libras adulterinæ monetę expendisse fuerit cōpertus, vel apud eum valor inuentus,

det

det quinque & viginti vſque ad trecentas arbitratu Magiſtratus.

Quiſquis, ſiue Genuenſis, ſiue diſtrictualis, ſiue exterus: ſciens quicquàm monetę cuiuſcunque generis ab officialibus edicto prohibitæ: ad vrbem Genuam, vel diſtrictum adportauerit: monetæ amiſsione mulctetur: fiſcoque moneta inferatur: & amplius det in pœnam quingentas libras vſque ad mille quingentas pro qualitate perſonæ. Si quis aũt quid exteræ monetę cuiuſcũque generis: quę nouiter ſit excuſſa ſupra decẽ libras adportauerit in vrbe Genua, vel diſtrictu: adeat officiales monetæ anteq̃ expendat: vt precium ſtatuant: eoq; ſtatuto: poſtea expendat. Si ſecus fecerit: fiſco moneta publicetur: ipſe autem damnum ſarciat: quibus eam ſoluerit: & amplius numaria pœna mulctetur arbitratu officialium pro qualitate perſonæ: & quantitate monetę.

Qui verò monetam adulterinam ad vrbem Genuã, vel diſtrictum ſciens apportauerit, ſi erit ſupra decem libras: capite plectatur. Si intra & ſit exterus, qui attulit, ad triremes relegetur in qnquennium vſque ad decennium. Si diſtrictualis, vel Genuenſis, perpetuo mulctetur exilio: vel in quinquennium remo addictus ad vincula nautica mancipetur. Verùm ſi eam ipſe excudere fecerit, aut opem, vel fauorem ad id faciendum pręſtiterit: ſummo adficiatur ſupplicio. Pręſitque his cognoſcendis omnibus Magiſtratus officialium monetę, & hac ſanctione ſeruata, iudicet, ac ſtatuat ex forma ſibi tributę facultatis.

## De conficiente falſum inſtrumentum, vel acta. Cap. XXXII.



Aior annis viginti: ſi falſum inſtrumentum, vel actorum publicorum quidpiam ſciens cõfecerit, conficive curauerit: manus ei præcidatur, ac perpetuò exulet extra vrbem Genuam & diſtrictum, dimidiumq́ue bonorum inferatur fiſco, & amplius lęſo ſoluat ſumptus, ac quicquid damni propterea ei obuenerit. Eadémq; pœna adficiatur quiſquis in inſtrumentis, actis, ſententijs, libris Reipublicę: alijsq́ue comperarum ſancti Geor-

gij,aut alterius compere,vel cuiuspiam publici Magistratus: quæ à Notario publico scribuntur,quid falsi scripserit, vel signauerit, aut animo falsum cõmittendi scribendũ omiserit,vel scriptũ rase rit,aut deleuerit,& post rasuram,vel deletionem aliud superindu xerit:nisi eius,qui cõfecit,vel rogauit:notarij manu de deletione, vel rasura , & verbis superinductis in actorum calce, vel ratio- num libris testatum fuerit. Tunc autem nulli sit pœnæ obnoxius.

De producente falsum instrumentum,vel acta. Cap. XXXIII.



I quis coram Magistratu ordinario, vel delegato, aut arbitro,vel arbitratore:dum causam agit,accusando, denunciando,excipiendo,vel defendendo,instrumen tum,sententiam,vel quid actorum publicorum,quod falsum sit,aut quicquam in eo per falsitatem additum,diminutũ, deletum,vel abrasum sciens per se,vel per alium protulerit, vel te stium quempiam:quem ad falsitatem dicendam instruxisset, vel induxisset, vel instrui, aut induci ab aliquo curasset: produxerit: horumque aliquo vsus fuerit:ipso iure cadat à causa: suisque iuri- bus omnibus: & actionibus,ac defensionibus, & in duplum eius: de quo agebatur dãnetur. Item ad soluendũ sumptus læso, & dã- na,quæ propterea passus fuerit. Eademq; pœna mulctetur procu rator: si horũ quidpiam: inscio principali: sciens ipse cõmiserit: & amplius sit infamis, ac in perpetuum procurationis officio ab- dicatus. Si verò post sententiam latam à iudice ordinario, vel de- legato,aut ab arbitro, vel arbitratore: de horum aliquo constite- rit: ipso iure sit sententia nulla: nec illi obsit: aduersus quem lata fuit. Nihilo tamen minus puniatur modo dicto: qui deliquit, & si minor fuerit annis viginti: arbitratu Magistratus mulctetur.

De

## De conficiente & producente falſam ſcripturam priuatam. Cap. XXXIIII.



Vi dolo in priuatis ſcripturis alienum chirographũ fuerit imitatus: quive in eis quid falſi commiſerit, aut committendum curauerit, vel in rationum libris: etiã proprijs: per ſe, aut per alium ſcripſerit, vel chartas, aut quinternos mutauerit, interleuerit, deleuerit, abraſerit, ſuperinduxerit, vel, vt veritas non appareat, quid cælauerit, aut ſubiecerit, horúmve quidpiam in cauſa ciuili, vel criminali ſciens protulerit, aut eorum aliquo vſus fuerit: ipſo iure cadat à cauſa: & tantundem det fiſco in pœnam. Omnésq; inſolidum parti aduerſæ reficiant impenſas, & damna, & amplius pro qualitate admiſsi criminaliter arbitratu Magiſtratus mulctentur: ſintq; perpetuò infames: & eorum ſcripturis: pro eo: quod eorum cederet vtilitati: nulla fides adhibeatur. Qui verò in ſyngrapha, vel apocha alienum chirographũ imitatus: falſum commiſerit: præter memoratas pœnas appoſitas: poſsit etiam vel corpore citra mortem plecti, vel ære mulctari pro qualitate admiſsi: arbitratu Magiſtratus.

## De perhibente falſum teſtimonium. Cap. XXXV.



Vi in iudicio, vel coram Magiſtratu ordinario, vel delegato, aut arbitro, vel arbitratore de veritate dicenda interrogatus: & iureiurando adactus falſum teſtimonium perhibuerit: ſi cauſa ciuilis erit: fuſtigetur per vrbem: & nares ei præcidantur: Sin criminalis, & idcirco dixerit, vt quis damnetur: ea pœna ipſe mulctetur: qua is debuiſſet: contra quem teſtatus eſt: ſi deliquiſſet: dum minor non ſit naſi truncatione. Sed ſi ideo dixerit: vt, qui deliquit, abſoluatur: ea pœna tunc plectatur: qua, qui deliquit: plectendus erat: modò minor non ſit narium præciſione. Amplius tam

is,qui testimonium falsum perhibuit:quàm qui eum sciens produxit:eoq; vsus fuit:ambo actione reali,& personali teneantur insolidum ad reficiendum læso impensas & damna:quæ passus fuit. Nec vlli: qui testem producet: liceat quicquam pecuniæ ei dicendi testimonij gratia elargiri, aut de ea largienda obligationem, vel pactionem cum eo inire: Nec testis etiam quid possit accipere præter id,quod ex operarum intermissione, aut impensarum itineris refectione iure ei obueniat. Qui contrafecerit: mulctetur arbitratu Magistratus pro qualitate rei:& personarũ cõditione.

## De illo: qui mutato nomine falsum instrumentum condere fecerit. Cap. XXXVI.



Visquis falsi nominis,vel cognominis, aut loci affeueratione:siue mas,siue fœmina fuerit: instrumẽtum,vel quicquid aliud scripturarum publicarum falsum reddiderit, aut faciendum curauerit: lingua præcidatur ei: omnibusq; publicis abdicetur officijs,ac duplo eius mulctetur:quod in instrumẽto, vel scriptura publica fuerit appositum. Cedatque dimidium fisco: reliquum ei: in cuius præiudicium instrumentum, vel scriptura publica fuerit condita.

## De falsificante sigillum vel literas Principis. Cap. XXXVII.



Vi nomine Illustriss. Ducis, & Magnificorum Gubernatorum,vel Procuratorum literas,vel quascunque scripturas falsas reddiderit: falsò mutauerit,vel qd falsi in eis cõmiserit,aut sigillum falsificauerit: furca suspensus igni comburatur. Eadémque pœna adficiatur:qui literas, vel scripturas, aut sigillum Magnificorum Protectorum comperarum sancti Georgij falsificauerit,vel quid falsi in eis commiserit.

De

## De nuncio falsam relationem faciente. Cap. XXXVIII.



Pparitor, quem vulgò hodie nuncium publicum vocant: vel qui gerit personã apparitoris, aut qui pro apparitore habetur: si quempiam se citasse falsò retulerit: aut quid actorum: vel causarũ curiæ alicui dixerit intimasse: quod non intimauerit: det quinque & viginti libras vsque ad centum: quoties deliquerit. Et si intra decẽ dies non soluerit: fustigetur per vrbem & extra eam relegetur vsque ad biennium: nec amplius ad dictum officium admitti posit. Soluat etiam læso sumptus: & damna: & irritum sit: quodcunque à Magistratu ob eam relationem factũ fuerit, vel decretum.

## De Notario periuro. Cap. XXXIX.



Otarius: qui periurij repulsam tulerit: vel alio quouis modo ratione sui officij periurus inuentus fuerit: in perpetuũ notariatus abdicetur officio: nec vllo tempore restituatur. Si Magistratus secus fecerit: det in pœnam quinquaginta libras. Sitq; restitutio irrita, nec prosit restituto.

## De iurantibus scripturas factas, seu scriptas, à se factas, vel subscriptas non fuisse. Cap. XL.



I coram ordinario, aut delegato Magistratu, aut arbitro, vel arbitratoribus, seu alijs bonis viris, vel propinquis electis, aut à quouis Magistratu constitutis quis iuramento adactus scripturam prolatam manu sua scriptam esse, vel subscriptam negauerit, & dicto testium, vel alijs quibusuis scripturis arbitratu iudicis de causa cognoscentis periurij fuerit conuictus: sit: & esse censeatur periurus: & succubuisse in

causa:feraturque sententia secundum eum:qui scripturam protulit. Vrbis autem Genuæ Prætor: maleficiorumque Iudex vbi ad eos: vel ad eorum alterum delatum fuerit: hunc modo dicto esse periurum: mulctent eum centum libris vsque ad trecentas fisco inferendas pro qualitate causæ,& conditione personæ.

### De consulente produci falsum instrumentum, vel publicas scripturas. Cap. XLI.



I cui quis sciens consuluerit falsum instrumentum, vel quid publicarum scripturarum: quod sit falsum edere, vel coram iudice, aut arbitro, vel arbitratore proferre, aut Iudicem corrumpere, vt secundum eas ferat sententiam: perpetuo exulet extra Genuense dominium Et si Procurator erit,ipso iure sit abdicatus procurationis officio. Si Iureconsultus:aduocationis. Si Iudex,iudicandi,& amplius vnusquisque læso reficiat sumptus,& damna.

### De Incendiarijs. Cap. XLII.



Visquis intra vrbem Genuam, vel in districtu intra oppidum per se, vel per alium dolo domum incēderit, capite plectatur: & damnum sarciat, ac bona fisco inferantur. Si apprehensus nō fuerit:huius criminis damnatus extra vrbem & districtum edicto exul publicetur. Si extra vrbem Genuam, vel in districtu extra oppidū ignis in villam, vel casam immissus fuerit,nec conflagrauerit, præstet damnum, qui immisit, & fisco det quingentas libras vsque ad mille. Ni soluerit intra decem dies post condemnationem: perpetuo exulet extra vrbem, & districtum, vel remo addictus ętatem agat in vinculis nauticis. Si tota domus,vel pars combusta fuerit,summo adficiatur supplicio,& damnum sarciat. Eisdémq; pœnis plectatur: qui

extra domum, vel casam per se, vel per alium ignem dolo malo aliquem in locum immiserit: è quo in domum, vel casam alterius incendium irrepserit, & totam, vel partem combuserit. Vbi verò culpa, vel fortuitò, citra dolum sequatur incendium, damnetur reus, & mulctetur ex forma iuris.

Alienam terram cultam, in qua sint fructus, si quis incẽderit det in pœnam quinquaginta libras, & læso duplum damni. Si eius culpa citra dolum in eam ignis insilierit, sarciat damnum, & fisco det decem libras. Si verò per se, vel per alium dolo malo ignem in terras incultas immiserit, è quibus incultam irrepserit, idem præstet, ac si incendisset.

Syluestrem terrã, vel pratẽsem, aut alterius qualitatis incultam qui incenderit, præstet duplum damni, & fisco det decem libras vsque ad centũ, vel virgis cædatur per vrbem, si intra dies triginta post condẽnationem non soluerit, aut in annũ vsque ad triennium ad triremes relegetur. Si verò eius culpa citra dolum ignis in eam irrepserit, damnum reficiat, & fisco det decem libras.

Amplius, his omnibus in casibus, vbi quis ex incendio interierit, vel læsus in aliqua parte corporis fuerit, aut tota domus, vel pars conflagrauerit, eius bona fisco inferantur, cuius culpa, vel ope, aut suasione, vel consilio incendiũ factum fuerit. Et q̃m incendiorũ probatio admodum difficilis redditur, ac satisfactio, cũ eorum vitio, qui noctu & occultè per se, vel per aliũ incendunt, tum puerorũ, qui ætate excusantur, vel domesticorum, aut familiariũ, à quibus, cùm nihil in bonis possideant, durum est, quod non habent extorquere, his omnibus occurrere volentes, quo facilius veritas prodeat, & cautum sit damno adfectis: potẽstatem facimus vrbis Genuæ Prætori, & alijs Magistratibus, ad quos pertinet de his cognoscere, quandocunque eis videbitur, etiam per præsumptiones, & indicia arbitratu boni grauisque viri malefactorem cogere, ac patrem pro filio, & dominum pro famulo, totaque eius familia, & eorum vnumquenque, qui incenderit, ad damni refectionem coercere.

De

### De accuſantibus, vel denunciantibus dolo, vel per calumniam. Cap. XLIII.



Vicunque dolo malo, vel per calumniã quempiam apud Magiſtratum reum criminis fecerit: vel denunciauerit: conuictus det in pœnam decem libras vſque ad quingentas arbitratu Magiſtratus fiſco inferendas.

### De conuenticulis, & coniurationibus non ineundis. Cap. XLIIII.



Vicunque in vrbe Genua, vel dominio Genuenſi conuenticula, vel coniurationes, aut fœdera (quæ vulgariter ligæ dicuntur) inierint, aut ad ea ineunda conſilium opémve præbuerint: quive Notarius publicum ſcriptum; vel quiuis alius priuatum de horum aliquo confecerit: aut in eo conficiendo ſe interpoſuerit, vel immiſcuerit: ſoluat eorũ quiſque in pœnã quinquaginta ſcuta auri vſque ad quingẽta ꝓ qualitate admiſsi, & cõditione perſonę.

Si quis aũt horum pugno, vel alapa in facie quempiam cæciderit: præter dictã pœnam: & alias capite de percutientibus conſtitutas: extra Genuã: & diſtrictũ poſsit in trienniũ relegari. Si percuſſerit: effuſo ſanguine: poſsit præter dictas pœnas etiã pecunia mulctari, vel corpore plecti, aut ſummo ſupplicio adfici, vel ad id vſque pro qualitate admiſsi & perſonæ: dum ratione mortis inferendæ. vbi ea ex forma noſtrarum ſanctionum: vel iuris irroganda non foret: Prætor & Iudex Illuſtriſsimum Senatum conſulãt: eiuſque de ea conſenſum obtineant. Quòd ſi percuſſus ex vulnere interierit: omnes fœderati præter memoratas pœnas bonorũ amiſsione mulctati cenſeantur: niſi aliquis eorum hunc, qui occidit: intra annũ Magiſtratui tradiderit, aut alio modo is intra id temporis in eius venerit poteſtatem. Interim tamen non differatur bonorum apprehenſio: propterea quod anni terminus: his ad

ſe exi-

ſe eximendum datus: nõdum ſit elapſus: ſed procedatur ad eã: & exequutioni mandetur confeſtim: deponanturque bona apud Magnificos Procuratores, & diſponantur modis: & formis contentis cap. ſub rubrica ſi quis ex pluribus obligatis pacẽ ruperit. Nec quiſq̃ audeat iſtis in caſibus pro horum aliquo intercedere, vel ei patrocinari abſque Illuſtriſs. Ducis, & Magnificorum Gubernatorum conſenſu, aut in diſtrictu, eius iudicis, qui de cauſa cognoſcit. Qui ſecus fecerit, ſcutis quinque & viginti auri mulctetur.

Qui verò cũ pluribus exulibus ad mortem damnatis, aut alio quocunque modo corpore plectendis coniurauerit, vel cõſpirauerit, aut tentauerit, vel tractauerit, vt armati vnà cum alijs: qui nõ ſint exules: territoriũ Genuenſe ingredientes damnum inferant vicis ruſticis, vel pagis, aut oppidis, vel municipijs, aut modo aliquo Reipublicæ noceant, vel detrimentũ adferant: puniatur ſicut rebellis, ſiue fuerit, ſiue non fuerit illatum damnum. Si verò, vt cuiquam priuato det damnum: fecerit: plectatur capite: quanuis non dederit: & ſi dederit: plectatur vt dictum eſt: & ſarciat paſsis.

## De Notario celante ſcripturas. Cap. XLV.



I Notarius quid publicarum ſcripturarum: quod vel ipſe rogauerit, vel alius condiderit: cuius edendi poteſtatem habeat: quodque edi iure debeat: eum: cuius intereſt: cælauerit, aut oblato præmio cõſueto edere, vel exhibere recuſauerit: det in pœnam centum libras, ac læſo ſarciat impenſas & damna: ſitque ipſo iure in annum Notariatus officio interdictus. Si rurſus deliquerit; eo in quinquẽnium iterum interdicatur, vel priuetur pro modo culpæ arbitratu Magiſtratus: læſo autem (vt dictum fuit) ſoluat impenſas & damna.

De

De Notarijs non indicantibus legata, instıtutiones, & substitutiones factas pijs locis. Cap. XLVI.



Rodant Notarij ijs, ad quos pertinet: quicquid bonorum: quod hæredis instituti, vel substituti, aut legati nomine in testamentis, vel codicillis in Genuensi dominio conditis testatores eis piè reliquerint, vel legauerint, vel errogauerint, aut ab eis errogandū statuerint, & speciatim officio suffragij pauperum: Misericordiæ, Hospitali sanctæ Mariæ Pāmatoni, vel incurabiliū; aut quibusvis alijs sacris locis, vel pijs. Idq́ue scripto intra duos menses post obitum testatoris, & debita mercede recepta, quando cunque fuerint requisiti: tradant eis horum exemplar authenticum. Ni fecerint: det contrafaciens fisco in pœnam quintam partem eius: quod in quocunque non indicato erit adpositum, & ad nullum vtilitatis, vel honoris officium promoueri amplius queat. Eadémque pœna teneantur hæredes, qui notitiam habuerint.

De instrumētis, & scripturis nō vēdendis, nec emēdis. C.XLVII.



Vi præter consensum notariorum Genuensis collegij instrumenta, vel acta publica, aut protocollos, vel scripturas, aut libros publicos manu Notarij scriptos per se, vel per alium vendiderit, emeritve: soluat fisco in pœnam quinque & viginti libras vsque ad centum: quoties deliquerit pro qualitate scripturarum, & conditione personæ: cedatq́ue dimidium accusatori: & sit sub secreti sigillo.

De bonis delinquentiū apud sequestrū collocādis. Cap. XLVIII.



Vandocunque de maleficio agetur aduersus quempiā: propter quod sit supra centum libras mulctandus: iubeat Magistratus de causa cognoscens eius bona apud sequestrum collocari: déque eis inuentarium fieri: donec idoneè cauerit: &

cauerit:& si cauerit, liberentur. Sed si delictum esset eiusmodi, vt omnia confiscari deberent: cõfestim inchoato processu, ne distrahantur: ad fisci requisitionem ea apud sequestrum mandet collocari: donec sit definitè pronunciatum.

De pœnis quæ imponi, & exigi possunt sine processu. Cap. XLIX.



E pro minimis delictis rei supra pœnam grauentur expensis: quæ in solemnitatibus iuris, vel statutorum seruandis contingunt: potestatem facimus vrbis Genuæ Prætori: & maleficiorum Iudici in quocunque delicto: propter quod non sit irroganda pœna supra nouem libras: procedendi absque processu ad condemnationem, & exactionem: dummodo fisco inferatur pecunia: & de solutione constet in actis. Hoc ipsum etiam cæteris Magistratibus: & officialibus in vrbe, & districtu criminalis iurisdictionis munere fungentibus tribuentes, vbi de delicto constiterit: & pœna irroganda quinquaginta solidos non excedat, ac pecunia fisco inferatur.

De prohibente fieri executiones ab executoribus publicis. Cap. L.



I quis captũ à statore, vel satellite vi exemerit, & exemptus criminis insimularetur: propter quod esset plectendus corpore: qui exemit id pœnæ luat: qua exemptus erat plectendus. Si exemptus erat innoxius: qui exemit: triennium exulet. Si pœna numaria erat mulctandus: dupli condemnetur, & annum exulet. Si causa ciuilis erat & pecuniaria, præstet damna læso: & tantundem fisco nomine pœnæ. Et amplius posit exilio biennij arbitratu Magistratus mulctari pro qualitate admissi. Si capite damnatum: cum ad supplicium duceretur, eripue-

eripuerit, & damnatus euaserit, summo adficiatur supplicio. Si damnatus citra mortem erat mulctandus: triremibus mancipetur in tempus arbitratu Iudicis statuēdum. Eisdémque pœnis omnibus adficiantur: qui opem ad hæc, vel consiliū præbuerint. Qui verò reum criminis eripere telo tentauerit, quanuis non eripuerit, ea pœna plectatur, qua reus erat plectendus. Itidem stator, vel satelles, aut iustitiæ executor si reū mandato Magistratus ad supplicium ducens fugere permiserit, vel sponte dimiserit.

## De fractoribus carcerum. Cap. LI.



Vicunque cuiusvis conditionis publicos carceres à foris fregerit, vltimi supplicij pœna puniatur. Qui ad actū facti proximum fractioni venerit, arbitratu Magistratus corpore plectatur. Ii autem, qui seruantur in carcere: si eum conspiratione facta fregerint, & euaserint: eo de crimine, ob quod vnusquisque eorum detentus erat (quod pro confesso tunc haberi volumus) conuicti censeantur, & plectantur, si haberi poterunt, sin minus, eo de crimine exules facti edicto publicentur. Isq; conspirasse censeatur, qui euaserit fracto carcere. Si verò ob æs alienum detenti forent, in duplum eius ob quod detinebantur, fisco inferendum mulctentur, Idq; etiam præstēt creditori, quod debent. Et si intra dies triginta ab eo, quo in Magistratus venerint potestatē mox sequentes non soluerint, ad triremes relegentur vsque ad triennium arbitratu Magistratus. Quòd si ad actum proximū fractioni deuenerint, vel carceres duntaxat fregerint, nec euaserint, ter fidiculis singuli torqueantur, aut ad triremes mancipentur in annum: Qui verò consilium, opémve huiusmodi facinori per se, vel per aliū præstiterint, libris quingentis mulctentur, & cunctis creditoribus eorum, qui euaserint insolidum teneantur. Si quis autem citra carceris fractionem aliquem, qui propter æs alienum detineatur, euadere fecerit, is creditori siue publico, siue priuato insolidum cum debitore qui euasit, teneatur,

& amplius

& amplius libris ducentis mulctetur fisco nomine pœnæ inferendis. Sed si qui euasit ob maleficium detentus esset: id pœnarum tunc ipse luat: quod qui euasit siue pecunia, siue corpore (si de maleficio constitisset) luere debuisset.

Qui verò in carceribus detinentur: & alio modo quàm carceribus effractis præter custodis euadunt voluntatẽ; si propter æs alienũ detinentur: mulctentur duplo eius, ob quod in custodia seruantur sin ob maleficium: propter quod vel pœna numaria mulctandi: vel corpore: aut alia sint plectendi: eo de crimine: cuius arguuntur: confessi tunc censeantur & conuicti: déq; eo sint exules facti: nisi intra quatuor & viginti horas sponte reuersi se in carcerẽ immiserint. Sed si intra eas fuerint intercepti: nequaquam sponte reuersi censeantur.

## De detentis in carcere, qui custodem carceris læserint. Cap. LII.



Visquis in carceribus detentus, siue vnus sit, siue plures: in custodem carceris: vel ministrum violentas manus iniecerit: eumq; vel percusserit, vel aliquo in loco cluserit: aut idcirco eum læserit, vel quid fraudis commiserit, vt carceris claues arripiat: & è carceribus euadat: ea pœna plectatur: qua fractores carcerum capite præcedenti plectendos statuimus. Sed si è carceribus non euaserit: ea mulctetur: qua dicto capite diximus eum teneri: qui ad actum facti venerit proximum fractioni.

## De rumpente pacem, vel inducias. Cap. LIII.



I quis post pacem, vel inducias cum eo cõtractas: à quo, vel lęsus fuerat, vel cum quo rixatus simultates, aut inimicitias exercuerat: & fidẽ vltro: citroq; de non offendendo datam ipsum per se: vel per alium interfecerit, vel vulnerauerit: vrbis Genuæ Prætor; & in districtu quicunque

Magiſtratus ad quem cognoſcere de hoc pertinebit: poſtquàm de his omnibus legitimis ſcripturis & authenticis conſtiterit, vel teſtibus non minus duobus omni exceptione maioribus: hunc: cuiuſvis qualitatis ſit, vel conditionis, rebellionis dãnatum, ac ſi in Rempublicam conſpiraſſet, pronunciet: exulémq; perpetuò factũ extra vrbem Genuã & diſtrictum iubeat promulgari. Eiſdémq; pœnis, dãnis, periculis, & ignominijs: alijsq; omnibus eum ſtatuat ſubiacere: quæ aduerſus Reipublicæ rebelles ſunt conſtitutæ: præter alias pœnas contra interficientes, vel vulnerantes, aut interficere, vel vulnerare mandantes noſtris ſanctionibus iniunctas. Si verò non vulnerando, ſed percutiendo armatus, vel inermis eũ adoriendo: pacem ruperit, aut enorme damnum eius rebus intulerit: præter pœnas delicto huiuſmodi ſtatutas: trecentas libras pẽdat vſque ad mille & quingentas arbitratu Magiſtratus pro qualitate admiſsi, & perſonarum conditione, & amplius damnum ſarciat.

## Si vnus ex pluribus obligatis pacem ruperit. Cap. LIIII.


Agnopere Reipublicæ intereſt ad tollendos tumultus: qui ex contentionibus ſolent in ciuitatibus ſuboriri: eorum audaciam coercere: qui pacem rumpunt. Proinde ſi plures hinc & inde inimicitias inuicem exercentes, vel modo aliquo diſsidentes poſt cõpoſitas diſcordias in pacis fœdera vtrinque coierint: & deinde vnus aliquis eorũ, vel cõplures huius, vel iſtius partis (nihil enim, cuius ſint, refert) pacem ruperint, ſancimus, vt, qui reliqui eius partis erunt, cuius ſunt pacis ruptores, capere ruptores iſtos debeant, & in Magiſtratus tradere poteſtatẽ, ab eo, qua meriti fuerint: pœna adficiendos. Et ſi intra annũ à die ruptæ pacis eos non ceperint, nec Magiſtratui tradiderint, vel alio modo in Magiſtratus non venerint poteſtatẽ, ſoluant, qui pacẽ ſeruare tenebantur, omnes inſolidum eã pœnæ numariæ quantitatem, quam, qui pacem

cem rupit:pro ea rupta soluere debuisset. Et vnica solutione à quo uis eorum accepta: cæteri liberi censeantur à fisco. Cõpetat tamen inter eos regressus, vt pro sua rata singuli teneantur. Si verò pax per occisionem rupta fuerit: præter dictã pœnã soluat etiam eorum quisque centum libras, vsque ad trecentas arbitratu Magistratus. Sed vbi ipsi eos, qui deliquerint: Magistratui (vt dictũ est) tradiderint, vel alio modo isti in eius venerint potestatem, aut intra dictum tempus contra eos executio facta fuerit: restent omnes liberi & absoluti: nec quicquã molestiæ huius rei gratia eis à fisco possit inferri. Vt aũt solutio non retardet, nec executio differatur: simulac pax fuerit violata, vrbis Genuæ Prætor, & quicunque alius Magistratus in districtu: ad quem de rupta pace cognoscere pertinebit: quũprimum fieri poterit, dictas omnes pecuniæ quantitates exigat: & exactas apud Magnificos Procuratores deponat: ab eis nomine depositi in annum à die ruptæ pacis conseruandas. Intra quem ij qui deliquere: si ab aliquo traditi (vt supra) fuerint: aut aliquo modo in Magistratus venerint potestatem: restituatur cuique eorum quicquid ab eo exactum fuerit. Sin nec ab eis traditi, nec à Magistratu capti fuerint: elapso anno ea pecunia restet fisco acquisita: & illis: qui eam soluerint regressus aduersum eos: qui deliquerunt: & eorum bona: nisi ea prius fisco fuerint publicata: tunc enim nullum eis ad ea ius competat, sed tantùm actio in eorum personas. Omnes autem: qui de seruanda pace, vel de nõ offendendo fideiusserint: si is, pro quo spoponderint pacem ruperit, vel læserit: cogantur ad omnem partis læsæ, seu cuius intererit, petitionem, & confestim compellantur ad soluendum omnem quantitatem promissam, nulla facta diminutione, nec bonorum contra principalem excussione: quocunque statuto: & exceptione non obstante. Sitq; plena probatio: quantùm ad hoc: sententia condemnationis, vel exilij contra principalem etiam contumacem, & de contumacia lata, vt contra fideiussores sine alia probatione exequi possit. Et in his procedatur sine processu, aut alia quacunque solennitate.

De Duellis. Cap. LV.



Vellum latina vox eſt:idem ſonat, quod bellum: vſqueadeò tamen vſus inualuit:vt pro eo hodie accipiatur,quod grecè monomachia dicitur: latinè ſingulare certamen: eóque modo hic nunc accipitur: quod ideo dicimus nequid diſceptationis ſit in verbo. Quãtum autem malorum duella ciuitatibus adferant:notum eſt magis:quàm neceſſarium explicare. Volentes igitur hanc funeſtam peſtem perniciémque ciuitatis è medio tollere: Sancimus néquis ſubditus,vel non ſubditus audeat in vrbe Genua, vel dominio Genuenſi literis, vel nuncijs, aut alio quouis modo quẽpiam ad duellum:ſeu certamen prouocare,vel in locis publicis, aut priuatis per ſe,vel per alium literas prouocationis affigere abſque Illuſtriſsimi Ducis,& Magnificorum Gubernatorũ conſenſu. Qui ſecus fecerit:capite plectatur,& bona confiſcentur. Eiſdémq; pœnis quicunque ſubditus adficiatur:qui alium Principem: quàm Illuſtriſsimum Senatum gratia loci ad certamen impetrandi adierit,ſiue id impetrauerit,ſiue non:modò certamen ſit cum ſubdito vel non ſubdito commorante in dominio Genuenſi. Item qui prouocatus fuerit: & prouocationi ſiue verbo,ſiue per literas reſponderit, vel certamen abſque conſenſu Illuſtriſsimi Ducis: & Magnificorum Gubernatorum acceptauerit: quive prouocationis literas ſubſcripſerit: vel præſentauerit,aut adfixerit,vel alieno nomine quempiam ad duellum ſeu certamen accerſierit, aut ad horum omnium quidpiam conſilium: opémve præbuerit, quive in dedecus, & ignominiam prouocati: ſi Genuenſis erit, vel ſubditus,aut degens in vrbe Genua, vel dominio Genuenſi per ſe, vel per alium quid picturæ in locis dominij Genuenſis, vel extra adfixerit. Vbi verò horum quis apprehenſus non fuerit: pœna capitis damnatus: edicto exul publicetur.

De

De clàm, dolóve intrante alienam domum, vel apothecam. Cap. LVI.


I quis clàm alienã domũ, dolóve malo intrauerit, & in ea se absconderit animo quempiã offendendi, vel aliud quodcunque delictum cõmittendi, aut ex alia quauis minus licita causa: & in Magistratus venerit potestatẽ: agat Magistratus in eũ tam ex officio, quã ad denunciationẽ & petitionẽ habitatoris domus, causamque inquirat, & inuestiget propter quã intrauerit, & in ea se occuluerit, etiam per tormenta: quanuis alia indicia non præcederent, & deinde considerata causa ingressus, alijsque coniecturis & præsumptionibus eum puniat perinde ac cõpererit, vel summo supplicio, vel ad id vsque pro qualitate admissi. Habitator autem domus, vel eius familia, si hunc in ea percusserit, vel interfecerit, extra noxã sit & pœnã: modo sit boni nominis & famę, de qua tribus idoneis testibus constet, nisi probaretur ipso consentiente eum domũ ingressum fuisse. In caupona verò, quæ taberna meritoria dicitur, vel in ganeis, aut diuersorijs nemini liceat quẽpiam in eis inuentũ percutere, vel occidere, sed tantũ capere, captumq; intra quatuor & viginti horas in curiæ tradere potestatẽ. Qui secus fecerit, plectatur ex forma statutorum, vel iuris vbi in eis quicquam defuerit.

Alterius apothecã, domum, aut mansionẽ qui scalis cuiusvis generis admotis, aut alio quovis modo introierit, ad triremes relegetur in biennium, & amplius, si quid furatus fuerit, plectatur furti, ex forma capitis de furibus. Et si furtum centum libras excesserit, vltimo adficiatur supplicio. Si verò ad actum facto proximum duntaxat processerit, vel de nocte per vrbem Genuam, aut in districtu per oppida cum scalis inuentus fuerit: det quinque & viginti libras vsque ad centum; vel fustigetur, si intra decem dies post condemnationem non soluerit.

## De intrante domum alienam per vim fracto ostio, muro, vel fenestra. Cap. LVII.



Vi per vim ostio fracto, vel muro, aut fenestra alterius domum intrauerit animo cõmittendi stuprum, vel adulterium cum muliere: quæ sit ciuis Genuensis, nupta, vel desponsata, aut virgo, vel vidua, siue delictum fuerit, siue non fuerit perpetratum; capite plectatur si mulier boni nominis erit & famæ. Eadẽq; pœna adficiatur: qui modo supradicto intrauerit cũ armis animo offendendi: si ad aliquẽ actũ facto proximũ ventũ fuerit. s. corpus eius tangendo, quẽ volebat offendere. Et si ventum non fuerit: extra vrbem, & districtum relegetur in quinquennium vsque ad decenniũ, vel triremibus in biennium vsque ad quinquennium: pro qualitate rei & personarũ. Si animo furandi fuerit ingressus: plectatur ex forma capitis de furibus. Sed si villam, vel prædium quis animo furandi fructus, olera, gallinas, anseres, aut alias aues intrauerit: quanuis (vt suprà) ruperit: soluat tantùm decem libras vsque ad centum: sarciatq; damna dicto læsi iuramento adacti si erit boni nominis, quod præsumatur, nisi probetur contrarium. Ni soluerit intra decem dies post condemnationem: virgis cædatur per vrbem: & in annum vsque ad quinquennium relegetur extra vrbem, & districtum, vel in annum ad triremes.

## De proijcientibus lapides in domum alterius. Cap. LVIII.



Vi de nocte lapides in domum alterius, vel ad tectum, vel ad fenestras proiecerit: proijcive mandauerit in eius damnum, vel dedecus: quod præsumatur: nisi probetur contrarium; sarciat damnum: & in pœnam det fisco viginti libras vsque ad quingentas pro qualitate admissi & personæ.

De

De facientibus carceres priuatos. Cap. LIX.


Arceres priuatos domi propriæ, vel conductæ: alió ve quouis in loco quicũque fecerit: & in eis quempiam detinuerit: ipse: & qui opem tulerit: summo plectantur supplicio. Sed si debitorem suum ex contractu; vel ob maleficium fugitiuum in eo detinuerit: detentúmq; intra horas quatuor & viginti post capturam in curiæ tradiderit potestatem: nulli sit pœnæ obnoxius.

Quòd non restituatur qui deliquit: nisi iudicatum præstiterit. Cap. LX.


I castelli incolæ vulgo vniuersitas appellati, vel vicini ob delictum: quod quis commiserit: damnati fuerint: propterea quòd vel eum: qui deliquit: non cæperint, vel captum curiæ non tradiderint: & iudicatum præstiterint: non absoluatur qui deliquit: nec remittatur: quin prius ijs: qui soluerint, satisfecerit, vel de soluendo idoneè cauerit.

De solicitantibus milites stipendijs Illustrissimæ Dominationis militantes. Cap. LXI.


Visquis siue subditus, siue exterus eorũ militum quempiam: qui stipendijs Illustrissimi Ducis, & Magnificorum Gubernatorum Genuæ vel alibi militet: literis, aut viua voce per se, vel per alium tentauerit, vel solicitauerit, vt eis se abdicet, aut à fidelitate deficiat: remo addictus ad vincula nautica relegetur in annum vsque ad triennium. Eandémq; pœnam subeat: qui de his tentatus, vel solicitatus confestim ad dictum Illustrissimũ, & Magnificos non detulerit si Genuæ erit, sin extra, ad iusdicentem vbi ipse erit. Ius autem dicens, hunc qui tentauit, vel solicitauit, vt primùm poterit comprehendi iu

di iubeat, nec,nisi mandato dicti Illustrissimi, & Magnificorum comprehensum missum faciat. Si secus fecerit:soluat quinque & viginti libras vsque ad trecentas. Omnes autem hæ pœnæ sint arbitratu dictæ Illustrissimæ: nihilq; propter horum quidpiam derogatum censeatur: aut quid præiudicij illatum sanctionibus aduersus reos criminis maiestatis constitutis:sed pro eo: quod ad eas attinet:perinde sint:ac si hæc acta non forent.

Quòd qui mandat maleficium committi: ea pœna plectatur: qua is, qui commisit. Cap. LXII.



I quis extra rixam quid homicidij, aut maleficij committendum mandauerit: quanuis deinde ab eo: cui mandauit: nihil horum admissum fuerit, vel attentatum:ea tamen pœna is: qui mandauit, plectatur:qua:qui mãdatum suscepit: si delictum consummasset:plectendus foret. Eadémq; adficiatur: qui citra rixam siue gratis: siue precio: siue alio quouis modo id mandatum gladio, vel veneno, aut alio quocũque modo perpetrandum susceperit:quanuis horum nihil exinde vel perpetrauerit,vel attentauerit. Liceat tamen ei:qui mandauit:vbi nec vulnus illatũ, nec quid criminis fuerit admissum, vel attentatum post mandatum pœnitere: illúdq; reuocare: dum ante reuocationem de mandato delatio Iudici facta non fuerit: & reuocatio ei: qui mandatum suscepit: intra id temporis re adhuc integra non fuerit intimata. Potestatem etiam facimus ei, qui mandatum suscepit:vbi nihil criminis adhuc admiserit,nec attentauerit,pœnitendi post susceptum mandatũ, & mandati susceptionẽ reuocandi. His autẽ omnibus:cũ ab eo:qui mandauit:tum ab illo:qui mandatũ suscepit non seruatis:nullam eis pœnitentiã: nec dati, susceptive mandati reuocationẽ volumus opitulari. Decernentes vtrique tunc onus incumbere pœnitentiã probandi:datique, & suscepti mandati reuocationẽ. Qui verò mandatũ suscepit: si crimen detulerit:& ex delatione qui mandauit conuictus fuerit:id eius in

bonis

bonis consequatur: quod huius facinoris patrãdi gratia inter eos erat conuentum,& tantundem etiã in præmium delationis. Sed si gratis perpetrandum delictum suscepisset: condemnatione in eum: qui mandauit: prolata: fiscus ex bonis damnati isti delatori solui iubeat quicquid ei videbitur vsque ad scuta quinque &. viginti auri, vel amplius arbitratu Magnificorum Procuratorum pro qualitate facti & personarum. Vbi autem quis quid homicidij, vel maleficij cuipiam committendum mandauerit: si is: cui mandauit: mandatum suscipere recusauerit: mulctetur pecunia, qui mandauit, vel corpore plectatur, aut summo adficiatur supplicio arbitratu Magistratus.

## De amplexantibus, & osculantibus mulieres præter earum voluntatem. Cap. LXIII.



X nimia Rectorum indulgentia cõpertum est facinorosos viros: dum delictorũ impunitatẽ sperant, in vitia, & scelera graui animaduersione digna plerunque labi. Eò enim impudentiæ, atque audaciæ ventũ est: vt nonnulli iniquitatis filij, seu libidinis impetu incitati, seu bonorum adipiscendorum cupiditate ducti; abiecto timore iustitiæ: honestatis quoque, & generis sui, ac cõditionis ratione posthabita: nihil sint veriti mulieres virgines, & viduas, vel aliter solutas præter earum voluntatem in vijs publicis, & conspectu adstantium prætextu matrimonij amplexari, vel deosculari, vt mulieres istæ tam insigni nota adfectæ: ab omnibus reiectæ ipsis facinorosis viris: qui iniuriam intulerunt: inuitæ tandem nubere cogantur. Et si id minus successerit: parentum animis ad vltionem potius concitatis, quàm ad matrimonia contrahenda pacatis: parentur inimicitiæ, consurgant rixæ, struantur odia, subsequantur cædes: quę, publicã priuatamq; ciuitatis quietem conturbant. Ne igitur sine vindicta talis crescat insania: hac nostra constitutione sancimus: vt, quisquis huiusmodi crimen in vijs publicis admiserit: quive ei auxilium, vel consiliũ præbue-

buerit: si honestæ erunt conditionis: eorum quisque det fisco in pœnã ducenta scuta auri vsque ad quingenta: & triennij exilio extra vrbem Genuã & districtũ mulctetur. Humiliores verò dent quinquaginta libras vsque ad trecentas, & biennij exilio puniantur. Nec prius, quam soluerit: quis dimittatur è custodia carcerum, vel ab exilio censeatur exẽptus: quanuis tẽpus præscriptum expleuerit: nã id, donec soluerit: in suo robore volumus ꝑmanere.

De Nutricibus. Cap. LXIIII.



Vtrix ad infantẽ lactandum conducta: & quiuis alius: qui nutricis nomine eum alendum susceperit: interrogãti cõductori, siue pater infantis sit: siue mater, siue quiuis alius palàm faciat: an abor sum fecerit: septimóne: an nono mense fœtũ ediderit: quantum tẽporis post partũ decursum fuerit: an interim quempiã ablactauerit: isq; superfit: fitne ipsa ex par tu bene firma, an languens: aliaque omnia: de quibus fuerit interrogata alendi pueri gratia nota faciat. Ni fecerit, vel quid horum mentita fuerit, sui salarij, siue exacti, siue nondum exacti amisſio ne dãnetur: & amplius in tantundem: cedatque totũ parentibus pueri, vel eius curã agenti: si ipsi non extiterint. Infante suscepto, curã eius agat, & bene nutriat. Si in aliquo sua culpa defecerit, vel erga infantem malè se dolo habuerit: soluat parentibus infantis, vel curã eius agenti quinque & viginti libras, vel carceribus adser uetur in mensem, nec ab eis: etiã ad preces curã pueri agentis, dimittatur, vt eius castigatio cæteris in exẽplum cedat. Si lac sufficiens ad alendum puerũ habere desierit: parentibus pueri, vel curã eius agentibus quãprimum denunciet. Itẽ si prægnans fieret, saltẽ intra decẽ dies: ex quo se verisimiliter esse existimauerit. Ni denunciauerit: amisſione sui salarij vt supra mulctetur, vel carcere. Si verò cõpertum fuerit ob malã ablactationem, vel curã infantem accepisse detrimentũ, & subitò, vel intra parùm temporis arbitrio boni viri interijsse: mulctetur nutrix pecunia, vel luat

cor

corpore, aut ſummo adficiatur ſupplicio arbitratu Magiſtratus pro modo admiſsi. Centum autem libras det ille, qui vnà cum ea huius facti reus inuentus fuerit, vel virgis cædatur per vrbem, niſi intra decem dies poſt condemnationem ſoluerit, & amplius cæſus carceribus adſeruetur in menſem, non dimittendus etiam ad preces offenſi. Nutrix verò, quæ incuria, aut alio quouis modo infantem ſuffocauerit, poſsit mulctari pecunia, vel plecti corpore, aut ſummo ſupplicio adfici, ſuiq; ſalarij etiam amiſsione puniri. De huiuſmodi verò lactis perditione, vel mala erga puerum cura credatur parentibus, vel curam pueri agenti, ſi tribus teſtibus, etiã fœminis, quæ filios genuerint, teſtatũ fuerit, eorum iudicio puerum male curatum fuiſſe, lacq; nutrici deſijſſe, & de his publicam vocem & famã in nutricis vicinia eſſe, aut, ſi ex demonſtratione, vel experientia mammarum deprehenſum fuerit nutrici lac ſufficiens deſijſſe.

Nulla autem nutrix duos infantes vno eodémque tempore ablactare nutriréve audeat, abſque parentũ pueri, vel curã eius agentis conſenſu, nec poſtquã ſuſceperit, eum reſtituere, vel dimittere, aut ab eius ablactatione, inuitis parentibus pueri, vel curã eius agente quouis modo deſiſtere. Si ſecus fecerit, amiſsione ſui ſalarij, & tantidem mulctetur, quoties horũ in aliquo deliquerit. Eadémque pœna teneatur, ſi, dimiſſo puero, vel reſtituto, alterum inde ad annũ ablactandum ſuſceperit. Qui verò eidem præter voluntatem parentũ pueri, vel curã eius agentis alterũ alendum tradiderit, vel tradere tentauerit, ſi à Magiſtratu, ne id faciat, admonitus, facere non deſierit, det fiſco in pœnã quinque & viginti libras. Ni ſoluerit intra dies quindecim, det duplum, ſitq; maritus obligatus pro vxore, ſocer pro nuru, ſi vnà habitauerint, & frater pro ſorore cum eo habitante. Idq; Magiſtratus exequatur in eorum bonis, ac exigat, quandocunque eorum quis contrafecerit.

His autem cognoſcendis, & puero reſtituendo, ac mercede ablactationis, vbi ea à parentibus pueri, vel eius curã agente admonitis non ſolueretur, præſit Prætor in vrbe Genua, in dominio verò Genuenſi cæteri Magiſtratus, quibus omnibus liberũ arbitriũ

conce

concedimus agendi, & procedendi ex ſcripto, & non ſcripto, ac decidendi, & iudicandi quēadmodum eis opus eſſe videbitur.

## De grauidantibus ſeruas, ſeu ſclauas alienas. Cap. LXV.



Lienā ſeruam quiſquis ſiue liber, ſiue ſeruus carnali copula cognouerit, ſi ſerua conceperit, ſoluat, qui prægnantem fecit, hero ſeruæ, vel heræ quinquaginta libras. Si ex grauiditate, vel partu ſerua deceſſerit: det ducentas dictis quinquaginta comprehenſis, herusq́ue ſeruæ, vel hera ei partum tradat, quem teneatur accipere. De prægnatione verò ſtetur iuramento ſeruæ, quod, accedente alio heri, vel heræ (modo ſint bonę famę) qui teſtentur ſe credere, eam fuiſſe ab ipſo grauidam factam, pro plena probatione habeatur. Seruus autem (niſi id, cuius fuerit damnatus, herus prę̨ſtiterit) dedatur noxę hero ſeruę.

Qui alienā ſeruam in domo heri, in qua vnà habitat, prę̨gnantem fecerit (de quo ſtetur iuramento ſeruę, ac heri, vel herę, vt dictum fuit) ſoluat hero ſeruę, vel herę quinque & ſeptuaginta libras. Et ſi ex grauiditate, vel partu ſerua deceſſerit, ducentas, dictis quinque & ſeptuaginta comprehenſis. Ni ſoluerit intra dies triginta poſt condemnationem: ſi ſeruus erit: dedatur noxæ hero ſeruæ. Sin liber: corpore plectatur arbitratu Magiſtratus: ſaluo iure hero ſeruæ pro dictis libris ducentis.

## Ne famulus in domo ſui domini fœminam ad eam carnaliter cognoſcendam conducat: néve manentem in ea cognoſcat. Cap. LXVI.



Iniſter, ſeu (vt aiunt) famulus: qui in cuiuſpiā eſt obſequio: ſi mulierem vnà ſecū in domo domini manentē carnali copula cognouerit, vel alibi cōmorantem ad coeundum cum ea in domum domini ſui introduxerit: det centum libras, vel fuſtigetur: ſi intra triginta dies poſt conde-

condemnationem non ſoluerit : aut extra vrbem Genuam : & diſtrictum perpetuo mulctetur exilio. Fœmina verò, quæ eſt in obſequio ſui domini : ſi eius in domum hominem: vt cum eo rem habeat: intromiſerit: & ſit ſerua: plectatur ex dñi voluntate: ſin libera, fuſtigetur : & det quinquaginta libras. Vir aũt centũ damnetur: & amplius poſsit corpore plecti, vel ære mulctari arbitratu Magiſtratus: conſultis tamen prius: & conſentientibus Illuſtriſsimo Duce, & Magnificis Gubernatoribus. Et ſi intra dictum tempus non ſoluerit, fuſtigetur. Magiſtratus verò in his agat ad denunciationem domini, vel dominę: & eorum alterius iuramentum (ſi boni nominis erunt) accedente coniectura, vel aliquo indicio pro plena probatione habeatur. Si ſecus fecerit: centum libras ſoluat.

## Néquis mulieres in carceribus detentas carnali copula cognoſcat. Cap. LXVII.



Viſquis mulierem ob maleficium, vel delictũ, aut quodcunque aliud in carcerum cuſtodia detentam carnali copula cognouerit: det fiſco centum libras vſque ad quingentas: quoties deliquerit: præter alias pœnas tàm à iure cõmuni, quàm municipali idcirco conſtitutas: quibus nihil ob hoc derrogatum eſſe hac noſtra ſanctione decernimus, & amplius, ſi erit Prætor, vel Iudex maleficiorum, aut Vicarius, vel carcerum cuſtos, aut miles, vel quiuis alius officialis ipſo iure abdicatus officio cenſeatur. Syndicatores autem præſint his iudicandis eaque exequantur: ſimulac de his facti fuerint certiores. Si ſecus fecerint: cauſam dicant coram ſuis ſucceſſoribus, & ſinguli quadraginta ſcutis auri damnentur.

Quòd mulier non cogatur in palatium ire ad dicendum testimonium. Cap. LXVIII.



Vlla mulier: honestatis gratia: in causa ciuili ad dicendum testimonium cogatur in palatium adire Prętorē, vel eius Vicariū, aut maleficiorum Iudicem, sed ad id recipiendum mittatur Notarius ad domū eius. Posit tamen mulier (si voluerit) in palatium ad subsellia curiæ duntaxat venire. In causa verò criminali; si erit eiusmodi: propter quam sit corpore plectenda: examinetur à Prætore: vel Iudice præsentibus Notarijs ad maleficia cōstitutis. Si Prętor, Vicarius, vel Iudex secus fecerit: vnusquisque eorū det decē vsque ad quinquaginta libras: ex eorum salario auferendas: quoties deliquerit. Mulier verò non coacta soluat quinque vsque ad quadraginta: & à viro (si eum habuerit) ex dotibus deducantur: sin minus, ex alijs quibusvis bonis.

Quòd de bonis damnatorum id tantum ad fiscum pertineat, quod ęri superest alieno. Cap. LXIX.



Vlla bona ad fiscū possunt pertinere: nisi quæ creditoribus sunt superflua. Id enim bonorū cuiusque esse intelligitur, quod æri superest alieno. Proinde vbi, vel bona ad fiscū deuolui contigerit, vel decerni immobilia ob admissum facinus dirūpi debere, id saluo iure vxorum, nurum, ac creditorum statutum esse censeatur.

Decrimine læsæ maiestatis. Cap. LXX.



Aiestatis crimen ęst illud, quod aduersus Rempublicā, vel eius securitatem cōmittitur: quo tenetur is: cuius opera dolo malo aduersus Rempublicam consilium initum erit: quo armati homines cum telis, vel lapidibus in vrbe Genua, vel in ditione Genuensi cōueniant aduersus Rem

Rempublicam, aut loca occupent, vel templa ſacra, quóve cœtus conuentúſve fiant:hominéſve ad diſſenſionem conuocentur: cuiúſve opera dolo malo conſiliũ initũ erit: quò Illuſtriſsimus Dux, vel quis ex Magnificis Gubernatoribus, aut Procuratoribus, vel alius magiſtratus Reipublicę: qui imperiũ, vel poteſtatem habeat, occidatur: quivé ad huiuſmodi actũ facto proximum peruenerit, cuiúſve opera dolo malo coniuratio aduerſus Rempublicam inita fuerit: quive hoſtibus Reipublicæ nuncium: literasve miſerit: ſignúmve dederit: feceritve dolo malo: quò hoſtes conſilio iuuentur aduerſus Rempublicam: quive milites ſtipendijs Reipublicæ militantes ſolicitauerit: concitaueritve: vt à Republica ad hoſtes deſciſcant: vel vt ſeditio, aut tumultus aduerſus Rempublicã fiat: quive hoſtes concitauerit, vt bellum aduerſus Rempublicam capiant: quive dolo malo, aut per inſidias: alióve quocunque modo tentauerit: conſiliúmve dederit: quo vrbs Genua, vel arces, aut portus, vel caſtella, aut municipia, vel quid locorum ditionis Genuenſis à fide: & obedientia Reipublicæ deficiant: quive cum hoſtibus ad expugnandum vrbẽ Genuã: locave ditionis Genuenſis occupandum venientibus ſe coniunxerit, aut venerit: cuiúſve opera dolo malo factum erit, vt hoſtes cõmeatu, armis, telis, equis, pecunia: aliave aliqua re aduerſus Rempublicam iuuentur: quive ad hoſtes profugerit: cuiúſve dolo malo arcana Reipub. conſiliave hoſtibus palàm facta fuerint: quive literis, nuncijſve: quocunque modo requiſitus, vel ſolicitatus de coniuratione, vel cõſpiratione: vel tractatu, aut cõſilio, vel colloquio, quod quouis modo aduerſus Rempublicam eſſe poſſet, aut aduerſus eius ſecuritatem: vel imperium, aut dominium: quumprimùm potuerit: iudicio Illuſtiſsimi Ducis, & Magnificorum Gubernatorum eis, aut ſaltem Illuſtriſsimo: & duobus Magnificis Gubernatoribus tunc temporis in palatio reſidentibus: vel, ſi erit interregnum: ſeu (vt aiunt) ſedes vacans: dictis duobus Magnificis Gubernatoribus tantùm non patefecerit, vel ius dicenti vbicunque ipſe erit: ſi ab vrbe Genua: & tribus Prætorijs curijs intra diſtrictũ tunc abfuerit: aut ſi extra dominiũ: vt primũ potuerit, nuncijs, literisve eos de his omnibus nõ

docuerit:etiam si fuisset tentatus,vel solicitatus à patre,vel à filio, aut ab alio cuiuscunque gradus propinquitate coniuncto, aut verba innuerent id tunc faciendum cùm tumultus erit in vrbe Genua, vel Reipub.dissolutio, aut sub alio verborum inuolucro, vel quouis quæsito colore: etiã si adiectum foret, sine Reipub. detrimento: quive castra:arces, locave Reipub. quæ tuenda receperit: deseruerit, aut tutatus non fuerit, vel hostibus prodiderit, aut inconsulto Senatu: eiusq; iniussu tradiderit, vel, cùm ei successum esset:nõ decesserit. Quisquis igitur quid eorum:quæ suprascripta sunt per se cõmiserit,vel per alios cõmittenda curauerit: opémve tulerit,aut consilium cõmittentibus dolo malo dederit: hi omnes tanquã hostes Reipublicæ perduellionisque rei summo plectantur supplicio:& bona fisco inferãtur cum feudalia: tum alodialia, quæ à die delicti commissi ad eum ipso iure deuoluta: eique addicta esse hac nostra constitutione sancimus. Immobilia verò dirumpantur:saluis iuribus vxorum,nurum, & creditorum.

Factionis autem conscius:seu(vt aiunt) conspirationis,coniurationis,tractatus,vel seditionis: quæ omnia hoc factionis nomine continentur:aduersus Rempub. tendentis, vel aduersus eius securitatẽ,& dominium: quanuis in horum nullo interuenerit,nec ad aliquem actum facto proximum progressus fuerit:si quùmprimum potuerit iudicio Illustrifs. Ducis & Magnificorum Gubernatorum,ipsis: quemadmodum suprà memorauimus,eam palàm non fecerit,capite plectatur. Eadémque pœna adficiatur,qui con fessum in iudicio reũ criminis læsæ maiestatis,vel damnatum, ac propter hoc in vincula coniectum emiserit,vel,vt ab eis, vel è manibus executorum,aut ministrorũ iustitiæ euadat, opem præbuerit: Itémq; eum,qui huiusmodi criminis confessum,vel damnatũ sciens receperit:& quùmprimum potuerit arbitratu Illustrissimi Ducis, & Magnificorum Gubernatorum in curiæ potestatem non tradiderit.

Qui verò ex aliquorum sermone:licet nõ manifestè deprehen derit,vel alijs signis,aut indicijs coniectauerit, vel compererit aliquos aduersus Remp.conspirasse,vel coniurasse, aut quid moliri,

vel pa

vel parare, ex quo verisimiliter Respublica capere detrimentum possit, si cùm primùm (vt dictum est) id non patefecerit, perpetuo dānetur exilio, vel pecunia mulctetur, aut corpore plectatur, vel summo supplicio adficiatur, aut ad id vsque arbitratu Illustrissimi Ducis, & Magnificorum Gubernatorum.

Si quis autem in exotdio initæ factionis eam prodiderit, præmio quingētorum scutorum vsque ad quinque millia, & amplius arbitratu Illustrissimi Senatus donetur. Si factionis cōscius erit, & in noxia, seu culpa, & statim patefecerit, veniam consequatur, & scutis ducentis vsque ad bismille arbitratu dictorum Illustrissimi & Magnificorum donetur: Sin ex interuallo, sed ante: quàm factio palàm facta fuerit: prodiderit: & arcana consiliorum patefecerit: absolutione tantùm: & venia dignus habeatur. An verò ab initio: an ex interuallo prodiderit: aut, cùm prodiderit: an factio iam palàm foret: vel, an ea: quæ prodiderit: aduersus Rempublicam tractata fuerint: Illustrissimi Ducis, & Magnificorū Gubernatorum iudicium esto. De hoc autem crimine: etiā post mortem nocentium: cognosci posse decernimus, vt conuicto mortuo, eius quoque damnetur memoria, & bona (si hoc qualitas criminis exegerit) à successore eripiantur.

Filij masculi damnatorum criminis maiestatis in primo capite huius constitutionis ipso iure ciuitatē, ac nobilitatem amittār, vrbe Genua, & districtu excedant: extorresq; sint perpetuò, nec, nisi aliquo egregio in Rempublicam nauato facinore iudicio Illustrissimi Senatus, remittantur.

Præsint autem his omnibus cognoscendis, & iudicandis vrbis Genuæ Prętor: maleficiorúmq; Iudex, & per se, vel alio, aut tribus alijs exteris Iureconsultis adiunctis: domiciliū Genuæ, nec in districtu habentibus: ab Illustriss. Duce, & Magnificis Gubernatoribus pro eorum arbitrio delegandis: adsistentibus etiā duobus ex Magnificis Procuratoribus ab ipsis Illustriss. & Magnificis eligendis: processum condant: & ius dicant summatim: simpliciter, & de plano, sine strepitu, & figura iudicij donec definitè pronunciauerint. Reósque in quocūque capitę huius cōstitutionis, siue per nū

cium,vel præconem euocatos,siue scripto, vel per edictum publicè propositũ admonitos ad diẽ arbitratu Iudicum statuendum se coràm Magistratu sistere negligentes perinde habeant,ac si cõparuissent:omnibúsq; interfuissent:& lis cum eis legitimè contestata fuisset. Eiúsq; criminis:cuius arguuntur: censeantur conuicti, ac si sponte id:eiúsq; qualitates:confessi:déque eo cõuicti fuissent. Ad torquendum verò indicia leuia sufficiant:tortúsq; semel: rursus posit: quoties ad eruendam veritatẽ opus esse videbitur. Reo autem nullum prius indiciorũ tradatur exemplum: quàm tortus fuerit. Sed vbi sint examinãdi testes:tradatur & inquisitionis, & eorum omnium:super quibus sunt testes examinãdi. Statuatúrq; tempus cõmune fisci Aduocato: & reo ad probandum incumbentia. Iudices verò testes interrogent,& examinent: adsistentibus duobus Magnificis Procuratoribus super titulis, & interrogatorijs:quæ fisci aduocatus,& reus protulerint. Eóq; lapso tẽpore,& publicatione testiũ facta:sumat reus pro libito exẽplum oĩum cõtentorum in processu:quæ ad eum duntaxat pertinent. Auditisq; deinde defensionibus eius,ac tota causa coram Illustris. Duce, & Magnificis Gubernatoribus bene examinata: ipsisque eorũ voto communicato procedant ad causę decisionem prout iuris fuerit, idque ratũ sit:quod maior pars censuerit. Prætor aũt eam exequatur omni appellatione & cõtradictione reiectis: salua semper auctoritate dictorũ Illustris. & Magnificorũ:qui facultatẽ habeant, non obstantibus quibusvis in hac constitutione contentis:cognoscendi,agendi,iudicandi, & exequendi pro vt eis videbitur. Et si post publicationẽ processus:contra reum noua superuenirent indicia:eum denuo torqueri posse censemus:quẽadmodum ipsis Illustris. & Magnificis, ac dictis Iudicibus visum fuerit conuenire. Omnibus iniungentes:ne quis audeat:cuiusvis sit conditionis:nisi ex consensu dictorum Illustris.& Magnificorum: horum reorum cuipiã patrocinari,vel eum tueri,aut cõmendare:etiã si diceret se:non personã,sed iustitiam cõmendare, vel pro eo modo aliquo intercedere. Quisquis aũt huius edicti temerarius contemptor extiterit:centum scutis auri fisco inferendis mulctetur.

Iudices

Iudices verò prædicti duobus Magnificis Procuratoribus ad hæc omnia:dum geruntur:adſiſtentibus exhibeant quicquid literarum, vel ſchedularum eorum quiſque à quouis in fauorem rei acceperit.Itémque illos prodant:qui cuiuſvis ſint conditionis, vel dignitatis per ſe, vel per alios eiuſcemodi reis, vel culpatis apud eos opem vel auxilium tulerint,vel cauſam cõmendauerint.Ni fecerint:omni officio,& dignitate,quam habent in vrbe Genua: ipſo iure abdicati cenſeãtur, & amplius ea numaria pœna mulctentur:quæ arbitratu Illuſtriſs.Ducis,& Magnificorum Gubernatorum fuerit conſtituta. Eadémque puniatur ius dicentiũ quiſque: ad quẽ quomodocunque de his notitia peruenerit:& ea(ſi abſens) per literas,vel nuncios, vel (ſi præſens) per ſeipſum confeſtim iudicio Illuſtriſs.Ducis & Magnificorũ Gubernatorum: eis palàm non fecerit. Cæteri verò: qui acceperint,vel ſc erint, & non prodiderint:arbitratu dictorum Illuſtriſs.&Magnificorum mulctentur. Exceptis Aduocatis, & Procuratoribus, ac alijs, quibus ex permiſsione dictorum Illuſtriſs. & Magnificorum cauſæ rei patrocinari:eamque tueri conceſſum fuerit.

De Rebellibus,& exulibus edicto publicatis, non recipiendis. Cap. LXXI.



Vicunque cuiuſvis cõditionis in vrbe Genua,vel dominio Genuenſi domi propriȩ,vel conductȩ, aut alio quouis in loco de die,vel de nocte rebellem Illuſtriſsimȩ Dominationis,vel rebellionis, proditionis, aut tractatus aduerſus Rempublicam edicto publicatum ſciens receperit,vel ope, aut conſilio iuuerit,cibo,potúve per ſe, vel per alium fouerit, aut in vrbe Genua, vel dominio Genuenſi ſociauerit: capite plectatur,& bona confiſcentur: niſi per vim,vel metum, qui caderet in conſtantem virum, id fecerit,& hæc:quùmprimum potuerit: ſaltem intra triduum Illuſtriſs. Duci: & non minus duobus ex Magnificis Gubernatoribus palàm fecerit: ſi erit Genuæ:ſin in diſtri

ctu:ius

ctu ius dicenti vbi ipse erit. Si apprehensus non fuerit: eius criminis: quod ex prædictis admiserit: damnatus exúlque extra vrbem Genuã:& districtum in perpetuum factus publicetur,& occidatur impunè. Eisdémque pœnis adficiatur: qui intra milliaria centum ab vrbe Genua sciens cõmunicauerit cùm horum aliquo; colloquiúmve habuerit: etiam si erit eorum pater, vel filius, aut eis quocunque gradu consanguinitatis, vel affinitatis cõiunctus. Ad hæc:omnibus vbique locorum interdictum esto: nuncium ab huiusmodi rebelli,vel literas accipere,aut horum quidpiã ad eum mittere absque Illustrissimi Ducis,& Magnificorum Gubernatorum consensu. Qui non paruerit:det fisco quingentas libras: & vltimo adficiatur supplicio:vel ad id vsque arbitratu dictorum Illustrissimi,& Magnificorum: nisi eorum in potestatem, vel alterius ex Magistratibus districtus nuncium: vel literas tradiderit. Municipiorum verò fœderatorum habitatores, quæ vulgo communitates conuentionatę vocantur: & oppidorum subditorum, vel castellorum cum pagis: quorum incolæ vniuersitates dicuntur:si horum rebellium quempiã: postq̃ rebellis fuerit publicatus, scienter in suum territorium, vel iurisdictionem receperint, aut in ea vagari permiserint, vel ope, aut consilio iuuerint, vel commeatu fouerint:dent in pœnã trecẽta scuta auri vsque ad bismille arbitratu Illustrissimi Ducis: & Magnificorum Gubernatorum, & amplius,cadant omni beneficio,conuentione,& gratia eis quo modolibet concessa:restentque ipso iure subditi: nisi intra decem dies eiusmodi rebellem publicatum in potestatem vrbis Genuæ Prætoris, vel alterius cuiuspiã Magistratus in districtu vinctum tradiderint. Si quis autẽ sacris initiatus, aut loco sacro addictus, Genuensi iurisdictioni non subditus:aliquo in loco sacro,aut quouis alio: dolo malo horum rebellium quempiã: quo die (vt suprà) receperit:Prætori in vrbe Genua,vel in districtu Magistratui ius dicenti non tradiderit, Illustrissimi Senatus auxilio, ac nostrarum sanctionum beneficio ipso iure priuatus censeatur.

Qui verò ob aliud crimen,quam perduellionis,capite damnatũ, déque eo publicatũ receperit, opémve (vt suprà meminimus) tule-

tulerit,aut ſociauerit: det quicquid Magiſtratus decreuerit vſque ad trecentas libras. Si cum eo colloquium, vel commercium habuerit: det decem vſque ad centum. Pater autem & aſcendentes, ac frater,ſoror, & vxor deſcendentes mitius:ideſt ad tertiã vſque partem dictarum pœnarum tantùm mulctentur arbitratu magiſtratus pro qualitate admiſsi:& perſonarum conditione. Alterius pœnæ:quàm mortis: damnatum exulémque publicatum: præter mulierem: quiſquis(vt ſupra dictum eſt) receperit,iuuerit,aut fouerit: det viginti libras vſque ad centum. Si quis tamen alicuius criminis horum: quæ memorauimus,damnatum,exulémque publicatum: quo cum ipſe aliquo ex dictis modis deliquerit:intra decem dies ab eo;quo deliquit:in curiæ tradiderit poteſtatẽ:extra noxam ſit,& pœnam:nec ei quid moleſtiæ ea de re inferatur. Nullus autem magiſtratus exulum quempiam ob delictum (vt aiunt) foreſtatũ ſinat habitare,vel vagari in vrbe Genua,vel dominio Genuenſi. quin potius perſequatur eum:donec comprehendat: prehenſumque in carcerem trudat, nec prius miſſum faciat:quàm id præſtiterit:ob quod foris iudicatus fuerit,vel foreſtatus.

## De exulibus ob æs alienum non reſtituendis. Cap. LXXII.



Xul ob æs alienum factus, ſeu foreſtatus, non eximatur ab exilio, ſeu foreſtatione, nec reſtituatur, niſi prius, quod debet, creditoribus ſoluerit: & fiſco in ſingulas libras debiti ſolidum dederit nomine pœnæ. Qui ſecus fecerit, ſoluat centum libras: & reſtitutio ſit irrita, nec proſit reſtituto.

De

De exulibus impunè lædendis,& occidendis.
Cap. LXXIII.



Amnatus exilij:& publicatus ob maleficium: propterea quòd summo sit supplicio adficiendus: impunè à quocunque occidi posſit,& lædi in rebus, quas secũ habet offensionis tempore. Qui autem occiderit: si propterea quòd occidit:in iudiciũ tractus erit:vbi de decreto,vel edicto aduersus exulem lato Magistratui constiterit: liberet Magistratus occisorem,& dimittat: irritúmque sit quodcunque actum fuerit. Interea verò: dum decretum,vel edictum exhibetur: cuique liceat: etiam sine procurationis mandato:occisorem in iudicio tueri:& omnes, quas voluerit, facere defensiones.

De præmio occidentis rebellem, vel capite damnatum,& exulem capientis. Cap. LXXIIII.



Vi criminis læsæ maiestatis damnatum in quocunque capite dictæ legis: rebellémque publicatũ quouis in loco occiderit: si exul ipse non est factus: donetur libris centum æris publici: nisi maius præmium in edicto fuisset adpositum: Vel,si maluerit, posſit petere alterum remitti de consimili, aut pari delicto, vel minori damnatum.Et si petierit: remittatur damnatus: déque libro exulum deleatur. Sin ipse de consimili, aut pari, vel minori delicto exul factus fuisset:eximatur ab exilio. Si quis exulem publicatum alterius criminis, quàm læsæ maiestatis: propter quod capite sit plectendus intra districtum occiderit: vel propè intra milliaria quinquaginta: donetur totidem,vel si ipse factus nõ est exul: posſit alium exulem de cõsimili,aut pari,vel minori delicto publicatum restituendum petere: dum tamen, is ante exul fuerit publicatus:quam ab ipso occisus. Et petitus restituatur:dum pacem

cem habeat cum offenso intra id temporis iisque modis, & formis: quemadmodum Illustrissimus Dux: & Magnifici Gubernatores statuerint. Si verò ipse exulat de consimili, aut pari, vel minori delicto: liberetur ab exilio. Hæc eademque omnia etiam cõsequatur: qui horum criminum: quæ memorauimus: damnatum quempiam, vel quoruncunque aliorum: ob quæ sit exul factus, & capite plectendus: in curiæ tradiderit potestatem. Iis exceptis, qui mulierem exulem factam occiderint. Et alijs, damnatis de nece parentũ, vel alterius ex maioribus in recta linea: filij, filiæ, aut fratris: Prætoris vrbis Genuæ, aut alterius cuiusvis Iudicis Genuensis Reipublicæ, statoris, vel satellitis, domini, aut dominæ ab eo: qui eius fuisset colonus, vel esset in obsequio aut fuisset. Item de assasinio: de præpostera venere: de adulterina moneta: de falsitate publici instrumenti, ac de falsitate sigilli, vel aliarum quarũvis scripturarum, & literarũ Illustrissimi Senatus, aut protectorum comperarum sancti Georgij. Quorum neminem peti, vel nominari, aut nominatum, vel petitum remitti hac nostra constitutione sancimus. Decernentes eum, qui ab exilio eximi petetur: intra mensem nominari debere: si occisio facta fuerit in districtu: Sin extra: intra trimestre, & hoc lapso tempore: neminem nominari amplius posse, nec nominatum remitti. Pecuniæ verò præmium captori in quemcunque horum exceptorum captum: & curiæ traditum dari volumus, nec per mortem exulis initæ paci contra factum censeri: quamuis in pacis conuentione contrarium fortè esset adpositum, quouis robore verborum vallatum.

Satelles autem, qui exulum quempiam captum in curiæ tradiderit potestatem, si exul est capite damnatus, degensq; Genuę, vel in suburbijs, vbicunque fuerit interceptus, donetur in vnumquenque traditum curiæ centum libris æris publici. Si cuiusvis delicti citra mortem dãnatus, & nobilis ex octo ac viginti nobilium familijs vrbis Genuæ, quinquaginta. Si ex non nobilibus ex ipsis familijs, quinque & viginti. Si verò à Magistratu dominij Genuensis dãnatus, & extra vrbem Genuã, vel suburbia interceptus, soluant id pecuniæ locorũ habitatores, in quorum iurisdictione fuerit in

rit interceptus, & habeant actionem ad bona intercepti deducto ære alieno.

## Tradat curię qui exulem ceperit. Cap. LXXV.



Radat intra dies duos in curiæ potestatem quisquis exilij damnatum promulgatúmque ceperit in vrbe Genua, vel dominio Genuensi. Ni tradiderit, si captus, est perduellionis damnatus; capite plectatur. Sin ob aliud maleficium, det trecentas libras. Et si ęre damnatus, tantidē mulctetur: quanti est damnatus, idque fisco inferatur. Ni soluerit intra dies triginta post condēnationē, det duplū, & amplius in tēpus à Magistratu statuendū relegetur.

## De iure non reddendo foro iudicatis, seu forestatis. Cap. LXXVI.



Vlli (vt aiunt) forestato ius reddatur, nec exuli facto ob ęs alienum, vel delictum, vel ob quodcunque aliud maleficij, in ijs, in quibus volet agere, nec ab eo causam habenti, neque alteri pro eo agenti in causa ciuili. Vbi verò Magistratui se coràm sisterit, audiatur in omnibus, in quibus volet agere, ac se tueri, quamdiu tamen steterit detentus.

## De exulibus, vel forestatis ob delictum citra mortem, nisi modo infrascripto restituendis. Cap. LXXVII.



Xul factus ob delictum, vel offensam in quempiam, si offensa in verbis fuerit, non prius restituatur, quàm id soluerit, in quo fuit dānatus. Si in bonis, donec damnum offenso, vel hæredibus ęstimatione Magistratus satisfecerit, & eam etiam pecuniæ quantitatē soluerit, quæ in decreto pœnæ nomine adposita fuerit, vel si nihil fuerit adpositū, quanti ea à Magistratu æstimabitur eius arbitratu. Sin corpore plecten

plectendus citra mortem:non priusquàm pacem cum offenso,vel hæredibus habuerit:& fisco id pecuniæ:in quo fuit damnatus:persoluerit. Si verò ob crimen in publico gerendo officio admissum, quin duplũ eius dederit : cuius fuit damnatus. Restitutus tñ : perpetuò priuatus remaneat publicis officijs omnibus : & beneficijs, nec ad ea adipiscenda habilis posit fieri. Et si:postquam exul fuerit factus:in bonis quempiam læserit:non prius restituatur:quàm damnum sarcierit : vel, si in corpore : quin pacem habuerit cum eo:vel hæredibus:& pœnam penderit ex forma statuti.

Alterius verò cuiusvis criminis damnatorum nullus remittatur:qui vel summo supplicio sit adficiendus, vel perpetuò exul factus:præterquàm in ijs duntaxat: in quibus id fuerit per leges nostras speciatim permissum.

Et quoniam plerique gratia remissionis criminis impetrandæ Illustriss. Ducem ,& Magnificos Gubernatores nonnunquam adeunt : hac nostra cõstitutione sancimus quãdocunque de remissione fuerit supplicatũ : si is:cuius nomine supplicatur: maiestatis crimine,vel capitali pœna ob aliud delictum est damnatus:aut ad vincula nautica perpetuò relegatus , vel perpetuò exul factus : lecta supplicatione corã Illustriss.Dominatione:legatur etiam processus causæ:& condemnatio:lectisq; proponatur: an supplicatio admitti debeat . Et si ex nouem calculis sex albi cõuenerint,vt admittatur:rursus coram Illustriss.Duce,& Magnificis Gubernatoribus:ac Procuratoribus relegatur tàm supplicatio,quàm processus,& condemnatio,& proponatur an petita concedi debeant.Et si per duas tertias partes calculorum alborum concedẽda esse censuerint,restent concessa,præterquàm in crimine læsæ maiestatis, in quo quatuor quintas partes calculorum alborum volumus conuenire.Vbi verò supplicatio, siue coram Illustriss. Dominatione, siue deinde coram ea,& Magnificis Procuratoribus admissa non fuerit,censeatur reiecta,déque huiusmodi reiectione condatur decretũ, & fiat etiã in libro notularũ dictæ Illustriss. Dominationis annotatio . Id autem,quod de supplicatione,& processu,ac condemnatione coram Illustriss.Duce,& Magnificis Gubernatoribus,

ac Procuratoribus cōiunctim,vel diuisim legēdis cauimus: etiam in alio quocunque casu constitutum censemus, in quo de cuiusvis exulis restitutione agat̃,ex forma capitis de pręmio occidentis rebellem, vel capite dānatū, etiā si processus reuidendi & referendi mun⁹ ad Iudicem esset delatū,& ab eo facta fuisset relatio. Nā,his non seruatis,restitutionem tanq̃ subreptitiā,& mancam,irritam esse decernimus,nec ei,qui impetrauerit,in aliquo prodesse.

De executione sententiæ,vel edicti contra exules.
Cap. LXXVIII.



Xul factus,& publicatus ob maleficiū,vel delictum,de quo,vel dānatus fuerit contumax, vel eius confessione,vel testium dicto,vel alia legitima probatione constiterit, si propter homicidium factus est exul, aut ob aliud criminis, propter quod sit aut morte plectendus, aut membro mutilandus,aut alia quauis pœna corpori irroganda coercendus,cùm venerit in curiæ potestatem:Iudex,cuius decreto exul est factus,& publicatus, vel successor, aut quivis alius cōpetens decretū exequatur intra diem tertiū,ab eo,quo in curię venerit potestatem,nulla exceptione vel defensione admissa. Ni fecerit, centum libris mulctetur, quoties defecerit. Vbi verò ob maleficiū sit ære dānatus,seruetur in custodia carcerū,donec iudicatū præstiterit.

De exule edictum non seruante. Cap. LXXIX.



Amnatus exilio,vel relegatus, qui intra præscriptum tempus ad locum statutum profectus non fuerit, vel inde excesserit, aut profugerit, vel quouis alio modo audiens decreto non fuerit, si damnatio est intra decennium:totum tempus de integro duplicetur. Sin vltra,esto perpetuum. Cumulat enim pœnam contumacia.

Quomo

Quomodo procedendum sit contra ciuem, vel districtualem exules publicatos in suis castris, vel pagis recipientem. Cap. LXXX.



Xilij damnatus ob delictũ Genuæ, vel in Genuensi dominio, aut extra commissum, qui in castro vel pago ciuis Genuensis, vel districtualis sito in districtu, vel extra ad commorandum concesserit, si inde profectus: rursus in vrbe Genua, vel districtu deliquerit: & ad hoc ipsum castrum, vel pagum, aut ad aliud (nihil enim refert: id an sit in districtu, an extra modò sit ciuis Genuensis, vel districtualis) reuersus fuerit, isque loci dominus de eo non recipiendo, & expellendo ab Illustrissimo Duce, & Magnificis Gubernatoribus admonitus, dicto audiens non fuerit, agatur aduersus eum tanquàm rebellem, & aduersus homines eius, & districtuales, tanquàm hostes Reipublicæ, quemadmodum melius, & oportunius ipsis Illustrissimo, & Magnificis visum fuerit.

Quòd nullus accedat ad loca Rebellium. Cap. LXXXI.



Nterdictum esto omnibus cuiúsvis conditionis ea loca petere, quæ Illustrissimus Dux, & Magnifici Gubernatores rebellium esse edixerint. Et si præterea cuiquam contigerit aliò proficisci, vbi sint, vel degãt rebelles, abstineat his dictis Illustrissimo, & Magnificis inconsultis, eorúmque non accedente consensu negociari, vel conuersari cum eis. Qui horum in aliquo sciens deliquerit, det in pœnam ducenta scuta vsque ad mille dictorum Illustrissimi & Magnificorum arbitratu.

Quod nullus ob delictum, vel ob æs alienum exul factus, seu forestatus ad officiũ, vel dignitatem promoueatur, nec ad arcis, vel castri custodiã admittatur, aut ad stipendia Reipublicæ recipiatur. Cap. LXXXII.



Xul ob æs alienum, vel delictũ factus: seu (vt aiunt) forestatus ad nullum officium gerendum, vel dignitatẽ in vrbe Genua, vel districtu habendã promoueri queat: nec ad arcis, vel castri custodiã admitti, aut ad stipendia Reipublicæ recipi vspiam possit. Si factum secus fuerit: sit irrita electio: perinde ac si facta non fuisset.

De Milite, vel agente pro Republica qui profugerit accepto stipendio. Cap. LXXXIII.



Illes stipendijs Reipublicæ militans, vel quisquis agens pro Republica: qui durante tempore stipendij: inconsulto Senatu: eiúsq; non accedente consensu: profugerit: captus stipendium restituat, & in annũ ad triremes relegetur. Qui eũ ceperit, & in curiæ tradiderit potestatẽ: donetur scutis duobus æris publici.

De Pago, arcéve, aut castro intra Coruum, & Monacum non emendo. Cap. LXXXIIII.



Nterdictum esto omnibus: tum ciuibus Genuensibus, tum districtualibus, ac Monaco oriundis: cunctisq; illic ad Coruum vsque habitantibus, & à Iugo vsque ad mare pagum, arcẽ, aut castrum intra hos cofines situm emere, vel quocunque alienationis titulo voluntariè, vel necessariò quomodocunque acquirere, aut in se transferre: ea alienatione excepta: quæ inter viuos, & in vltima voluntate: eorum in personã cedit, qui ab intestato ipsi aliè

nan

nanti sunt propinquiores ex forma iuris, & statutorum nostrorum, ni prius Illustrifs. Ducē, & Magnificos Gubernatores adiēs, supplicatione porrecta: ad ea se admitti petierit. Et si ex nouē calculis sex albi cōuenerint vt supplicatio admittatur: rursus coram dicto Illustrifs. & Magnificis: adiectis Magnificis Procuratoribus relegatur: & proponatur an petita sint concedenda. Et si per tres quartas partes calculorum alborum concedenda esse censuerint: restent concessa. Vbi verò siue corā Illustrifs. Dominatione; siue deinde corā ea, & Magnificis Procuratoribus supplicatio admissa non fuerit: reiecta censeat̄ & denegata. Si quis autē emptorum, vel acquirere volētium secus, q̄ memorauimus; fecerit, agat vrbis Genuæ Prætor ad veritatis inquisitionē: & ea cognita; intra dies triginta mox sequentes id: quod venditum fuerit, vel alienatum huius sanctionis vigore Reip. adiudicet, atque adijciat, & in regestum describi iubeat: eum verò tantidē mulctet; quanti res de qua agetur: fuerit æstimata: cedatq; tertia pars accusatori; reliqua fisco inferatur. Illustrissimus autem Dux, & Magnifici Gubernatores, ac Procuratores hæc omnia (vt dictum est) etiam seruent.

De Aduocatis, & causidicis paciscentibus de quota litis. Cap. LXXXV.



T sumptus prærogare litiganti æquum est, ita pacisci vt quantitas eo nomine expensa nō tradatur: quę cum mercede debetur, sed pars eius: quod ex ea lite datum erit: tribuatur: periniquum est. Proinde, Aduocati, vel causidici, aut quicunque alij, qui alienas lites redemerint: & in euentū litis dari sibi certā quātitatē cauerint: siue (vt aiunt) pactum de quota litis inierint: si de rebus pactum erit: res & precium inferatur fisco. Sin de pecunia, tātūdem quisque præstet, & amplius scuta quinquaginta vsque ad centum pro qualitate rei. Si rursus deliquerit: præter dictas pœnas eo quo funguntur officio aduocationis, vel procurationis, aut alterius cuiuscunq; ipso iure censeant̄ priuati, nec ad id admitti amplius queāt.

Quòd pœna duntaxat ex forma statutorum constituta irrogetur delinquenti. Cap. LXXXVI.



Mnibus in causis, in quibus agitur de irroganda pœna: id in quacunque earum seruetur præcipuè, quod per sanctiones nostras speciatim est constitutum, nec inferatur maior: quamuis fortè deberetur ex forma iuris communis.

De occupantibus, vel prohibentibus viam publicam Cap. LXXXVII.



Vsquis intra vrbem Genuam, vel in districtu intra pagos, vel oppida occupauerit viã publicã, vel prohibuerit; det in pœnã: quoties deliquerit: quindecim libras vsque ad quinquaginta: Sin extra: decẽ vsque ad quinque & viginti: & si vias vicinales, vel semitas, ijs, quibus per eas eundi ius competit, occupauerit, vel prohibuerit: quinque vsque ad duodecim mulctetur.

De proijcientibus immundicias ante ostium domus cuiuspiam; & de acclamantibus verbis iniuriosis. Cap. LXXXVIII.



Visquis ante ostiũ domus, vel habitationis cuiuspiã, aut in porticu, vel scalis sordes proiecerit, vel cornua, aut quid ignominiosum postibus: alicuive loco intra, vel extra domũ fixerit, vel pinxerit, aut quid aduersus aliquẽ scripserit, vel ab alijs, vt fiat, curauerit, aut opem tulerit, vel consilium dederit: quod in re dubia fecisse præsumatur: det in pœnã trecentas libras: quoties deliquerit: aut ter fidiculis torqueatur, vel quinquenniũ exulet extra vrbẽ, & districtũ. Eadémq; pœna plectatur, qui no-

ctu

ctu prope,vel ante domũ,aut sub fenestris ciuis Genuensis,vel districtualis, aut alterius siue in vrbe Genua, siue in districtu habitantis masculum, vel fœminã ludicris carminibus, vel obscænis, aut derisorijs vocibus adclamando contempserit, vel carpendo, aut alio quouis modo ludibrio habuerit:seu (vt vulgo dicunt) haueranno incantato. Item: qui fuerint in eorum societate, vel qui opem, aut consilium prȩstiterint: vel victus adclamantibus, aut derisionibus adfuerint. Vrbis autem Genuȩ Prætor: cæterique Magistratus iurisdictionẽ habentes agant contra huiusmodi derisores ex mero officio:nulla prȩeunte inquisitione,vel processu: dum prius, saltem per indicia, vel verisimiles prȩsumptiones de delicto constiterit, reósque conuictos puniant. Ni fecerint, det eorum quisque in pœnam centum libras,quoties defecerit.

## De Hereticis persequendis. Cap. LXXXIX.



Ereticorum prauum genus inconsutilẽ tunicã Dei nostri scindere satagentiũ, qui sectionẽ in catholicȩ Ecclesiȩ, eiúsq; indiuisibilis fidei vnitatẽ nituntur inducere: quò oues à Petri custodia segregatȩ,cui à Pastore bono pascendȩ sunt creditȩ,lupis rapacibus deuorandȩ dispergantur, graui animaduersione dignũ censemus,vt imbecilles,eorum castigatione perspecta,firmiores facti ab huiusmodi impietate abstineant. Proinde vrbis Genuȩ Prȩtori, cæterisq; Magistratibus omnibus, & officialibus, alijsq; ciuibus Genuensibus, ac districtualibus dominio Genuensi subditis hac nostra constitutione indicimus,& iubemus,vt Reuerendo Archiepiscopo Genuensi,eiúsq; vices gerenti, & Inquisitori hereticæ prauitatis,eorúmq; officialibus,ac ministris in his omnibus,quæ ad hæreticos comprehendendos, persequendos, ac puniendos pertinent,opẽ,& auxilium,ac fauorẽ præstent. Nec quisquam cuiusvis conditionis audeat,quò minus id muneris exequãtur,opponere,vel modo aliquo contraire. Ijs tantùm exceptis defensionibus,& allegationibus faciendis:quæ pro inquisitis, accusatis,

De condemnationum exactione. Cap. XCI.


Eris dãnato triginta dies post condemnationem: & intimationem ei coràm factam: vel ad domum, aut per edictum mox sequentes ad soluendum statuimus. Si seruatur in carcere: non prius emittatur, quàm soluerit: vel de soluendo intra id tempus arbitratu Magnificorum Procuratorum idoneè cauerit. Si intra id soluerit: quarta parte donetur. Sin minus: & cauerit: aduersus eum: & fideiussorem Magistratus exequatur: nullo præeunte processu: subhastentúrque bona: & plus offerenti addicentur. Magistratus verò: si fideiussor de se indemni conseruando caueri sibi à principali petierit: principalem ad cauendum compellat: & si soluerit: etiam ad restituendum cogat. Vbi tamen nulla bona vtriusque extarent, vel si extarent: non essent satis: & vterque abesset: vterque de eo: quod deerit: exul ab vrbe Genua, & districtu publicetur: nec prius: quàm soluerit: restituatur.

Nec commendentur causæ: nec commendantes audiantur. Cap. XCII.


Nterdictum esto omnibus cuiúsvis conditionis, etiam Illustrisimo Duci: & Magnificis Gubernatoribus, ac Procuratoribus: & vnicuique eorum quascunque causas ciuiles, vel criminales: quæ coram Magistratibus vertuntur: per se: vel per alium quouis verborum genere commendare: etiam: si dicerent se: non personam: sed iustitiam commendare. Item: tam dictis Illustrisimo: & Magnificis: & vnicuique eorum: quàm etiam vrbis Genuæ Prætori: eiúsque Vicario, ac maleficiorum Iudici: & officialibus Rotæ quempiam audire: masculum, vel fœminam: etiam exterum: qui alienam causam ciuilem, vel criminalem coram se contrauersam per se: verbo, vel scri

pto,


pto,aut per alium commendet,vel pro aliquo intercedat, etiam si diceret,iustitiam duntaxat se commendare. Exceptis à prædictis omnibus patre pro filio,marito pro vxore,socero pro genero, & è diuerso,ac fratre. Item ijs,qui causam agunt propriam,vel qui Procurator est,aut Aduocatus,Tutor,vel Curator:aut (vt aiunt) fideicommissarius illius:cuius causa agitur. Qui secus fecerit: si duntaxat commendauerit: det centum scuta auri vsque ad ducenta. Sin scripto, vel verbo: alióve quouis modo commendantem audierit: soluat quinquaginta vsque ad centum: idque totum arbitratu Illustrissimi Ducis: & Magnificorum Gubernatorum.

## De contrahentibus matrimonium cum seruis inscio, vel inuito domino vel domina. Cap. XCIII.



Visquis cum serua aliena matrimonium contraxerit, hero, vel hera inscijs, vel inuitis: si serua erit de genere Orientalium: soluat eis pro precio ipsius trecentas quinquaginta libras. Sin de genere Maurorum,ducentas quinquaginta. Serua autem:ea esse censeatur: quæ in vicinia habitationis domini,vel dominæ pro serua habetur. Cogatúrque ad solutionem summatim absque processu: vel libello, & executio fiat arbitrio heri,vel heræ in re,vel in persona,nec prius, quam satisfecerit: è carceribus dimittatur.

## De supponentibus partum. Cap. XCIIII.



Vpponentes partum, vel supponi mandantes: eiúsque facinoris participes capite plectantur. De hoc tamen soli accusent parentes, aut ij, ad quos ea res pertinet. Iudici verò ex officio agere non licet.

De

De præuaricatoribus. Cap. XCV.



Duocatus qui publico, vel priuato iudicio præuaricatus fuerit: & quisquis alius: de cuius præuaricatione constiterit: læso damnum farciant: & pœna extraordinaria puniantur, ac sunto infames.

De Ciuibus Genuensibus, & subditis Genuensi dominio extra Genuam, & dominium Genuense delinquentibus. Cap. XCVI.



I ciuis Genuensis: vel districtualis: aut is: qui in vrbe Genua, vel in locis subditis dominio Genuensi: saltem quinquennio; habitauerit: quid criminis extra vrbem, vel Genuense dominium eum in exterum cōmiserit: qui nec in vrbe degat, nec in dominio Genuensi vspiam habitet: abstineat Prætor vrbis: maleficiorúmque iudex, & quiuis alius Magistratus iurisdictionis Genuensis aduersus horum quempiam per accusationem, vel inquisitionem agere: præterquàm ad illius petitionem: qui suam, vel suorum iniuriam prosequitur. Idque tum, cũ illic vbi crimen admissum fuerit: is: qui admiserit; nec dãnatus fuerit, nec absolutus. Et si à Prætore vrbis, vel alio quovis ius dicente in dominio Genuēsi exul iam factus fuisset, ac deinde à Magistratibus eius loci: vbi deliquit: exilio etiam mulctatus: vel modo aliquo eo de crimine molestatus: tunc ab exilio iniuncto à Prætore vrbis, vel ius dicente in dominio Genuensi ipso iure exemptus censeatur. Si verò in Genuensem ciuem, vel districtualem, aut quemuis alium Genuæ, vel in Genuensi dominio (vt memorauimus) habitantem deliquerit: agatur in eum tàm Genuæ, quàm vbique locorum Genuensis dominij ad illius dũtaxat petitionem, qui suam, vel suorum iniuriam prosequitur: etiam si: vbi deliquit, eo de crimine exilio fuisset mulctatus: nisi illic se iudici coràm stetuerit,

tuerit, & iudex nulla subsecuta collusione condemnando, vel absoluendo definitè pronunciauerit. Et si nundum pronunciasset, sed procederet: expectetur euentus iudicij: nec interea:dum pronunciet:quicquam à Magistratibus vrbis,vel dominij innouetur.

## De iusdicentibus: qui perperam iudicauerit. Cap. XCVII.



SI ius dicens in vrbe Genua: vel Genuensi dominio ciuis, vel exterus per se,vel per suos ministros, aut familiares, vel per quoscunque alios tempore sui officij ab quouis mortalium:vel (vt aiunt) ab vniuersitate:corpore,vel collegio:etiã ab eo: qui sponte dare volet: præter mercedem sui salarij:& id: quod nostris sanctionibus est constitutum, vel ab Illustrissimo Duce: & Magnificis Gubernatoribus,aut ab Senatu permissum: quocunque modo: vel nomine quid amplius acceperit: vel de dando promissio ei facta fuerit:& sit exterus:quadruplum eius: quod vel acceperit: vel sibi promissum fuerit inferat fisco.Sin ciuis Genuensis,vel subditus:triplum soluat: & id,quod quisque acceperit:illi: à quo acceperit:restituat. Eisdémque pœnis teneatur quisquis quicquam horum tractauerit,aut fecerit,vel,vt fiat,curauerit. Qui verò precio, vel gratia deprauatus dolosè perperam iudicauerit: si causa ciuilis erit: læso damna & impensas sarciat: fisco autem triplum eius quod acceperit,vel promissum fuerit:soluat:& dignitate priuatus perpetua infamiæ nota laboret. Sin criminalis: præter memoratas pœnas luat ære,vel corpore, vel summo plectatur supplicio, aut ad id vsque pro qualitate admissi arbitratu Magistratus. Accusator autem, vel delator dimidium pœnæ numariæ consequatur:cuius ille fuerit mulctatus:qui aduersum hæc:quæ memorauimus: quidpiam fecerit. Liceatque etiam illi: qui dederit, vel dare promiserit: impunè deferre: & idem præmium habere, atque ab iudice:quicquid eo nomine dederit:recuperare.

Omnibus autem his cognoscendis, & iudicandis: donec iuris dicen

dicendi iudex fungetur officio: præsit Illustrissimus Senatus, vel ij, quibus ab eo fuerit id munus demãdatum. Eo verò exacto, cognoscant syndicatores: idq; præsumptionis, & indicij pro plena habeatur probatione, quod, qui cognoscent, statuerint sufficere. Reus autem ad veritatem dicendam cogatur vel mulcta pecuniaria, vel corporis castigatione iudicum arbitratu.

De viro, vxore superstite aliam superinducente, & de muliere, viuo marito alteri nubente. Cap. XCVIII.



Vi, vxore sua superstite, aliam sciens superinduxerit: item mulier, quæ virum habens: de cuius morte nullus luctus palàm sit factus, alteri se matrimonio iunxerit: det fisco in pœnam tam vir, quàm mulier, centum libras vsque ad quingentas arbitratu Magistratus pro conditione personæ. Sed si carnalis copula intercesserit, ambo plectantur capite: muliérq; ipso iure dote, & antefacto censeatur priuata: cedantq; prout capite de muliere fugitiua à domo mariti est constitutum. Eadémq; pœna adficiatur, quæ alteri viro vxorem habenti sciens nupserit, si carnalis copula fuerit subsecuta.

Ea pœna plectatur qui mandat, qua, qui committit, nec mandati transgresio ei opituletur. Cap. XCIX.



I quis mandauerit quempiam percuti, vel vulnerari, quanuis non animo occidendi fecerit, sed iniurię tantùm inferendæ gratia: tamen, si ex percusione mors sequetur, vel membri debilitatio, aut ex vulnere euidens cicatrix in facie perpetuò remansura: qua pœna plectendus erit, qui mandatum suscepit, ea & hunc, qui mãdauit, plectendum sancimus. Nec mandati transgresionem (quanuis de ea cõstaret legitimè) quòminus plectatur, ei in aliquo volumus opitulari.

## MDLV. Die II. Octobris.



LLVSTRISSIMVS D. Dux, Illustres D. Gubernatores,& M. D. Procuratores Excelsæ Reipublicæ Genuen. sub indicio calculorum. Huius decreti vigore, decreuerunt, & ordinauerunt, ac decernunt, & ordinant, quod omnes illi, qui de cætero erunt culpabiles condemnati,& banniti, pro crimine præposteræ veneris,seu vitio sodomitico,non possint gaudere beneficio decreti formati contra bannitos,quo disponitur,quomodo remitti possint banniti: ita quod ipsi condemnati,& banniti pro crimine prædicto, non possint remitti, nec rebanniri virtute dicti decreti,tàm per se ipsos, quàm vocari & rebanniri per alium, seu alios, quibus competeret ius,& beneficium dicti decreti:& hoc non obstante decreto ipso,aut aliqua alia legum, & capitulorum,seu statutorum, dispositione: quibus omnibus de plenitudine potestatis,ex certa scientia, & motu proprio, derrogarunt, & derrogant,nihil obstante.

## MDLVI. Die XXI. Iunij.



Llustrissimus,& Excellentissimus Dominus Dux, Illustres Domini Gubernatores,& M. D. Procuratores Excellentissimæ Reipublicæ Genuensis. Cum nil salubrius sit in Republica,quam quod leges,quibus homines debent regi,& gubernari, ita & taliter sancite & disposite remaneant, vt omni cum facilitate, quisque de eis se certiorem facere valeat,cum,prout, quilibet, sua interest,earum beneficio frui possit, tum vt cauere sciat, ne quid contra earum dispositionem, operetur, & cum à pluribus annis & citra, propria experientia cognitum sit, statuta ipsa multis & varijs temporibus decreta, non modo inter se plerunque confun-

di,verum etiam multoties videri vnum alteri aduerſari: vnde fit quod vltra ſummam difficultatem habendæ copiæ eorum, ita vt ex eorum diſpoſitione lites deberent dirimi, & terminari, ſæpe ortæ ſunt,& multiplicatæ:& cũ ſuæ Illuſtriſs.Dominationes, pręhabitis ſuper his omnibus, debitis conſiderationibus, & cognita denique vrgenti neceſsitate reuiſionis, reformationis, & compilationis,ſtatutorum, & ordinamentorum Ciuitatis, quod à multis,& multis annis citra minime prouiſum fuit:& propterea ſummam negotij tanti momenti,demandauerint tribus præſtantiſsimis Ciuibus, à quibus, diuturnis & multis laboribus, debitiſque diligentijs adhibitis,fueruut reuiſa, reformata, & in vnum volumen compilata,iura,& ſtatuta criminalia Ciuitatis,quorum virtute boni illeſi, & incolumes tueantur: mali verò appoſitione pœnæ territi parare formident:& cum poſtrema ſtatuta ipſa à ſuis Illuſtriſsimis Dominationibus fuerint reſpectiue reuiſa,perpenſa,& abunde examinata,& ſic dum datur opera reuiſioni, reformationi, & compilationi iurium ciuilium, ſuis Illuſtriſsimis D. viſum fuerit in ſententiam criminalium reformatorum ſancire,obſeruantiam illorum decernere,eaque omnibus nota, facere,ita vt deinceps, rerum criminalium iuſtitia, iuxta diſpoſitionem horum nouorum iurium,& ſtatutorum adminiſtretur & regatur, nec contra eorum tenorem, & diſpoſitionem, aliqua alia diſpoſitio quorũcunque aliorum decretorum, & ſtatutorum vſque in hodiernum deliberatorum admittatur, quinimo ad vnguem tàm in pręſenti Ciuitate, quàm in omnibus alijs Ciuitatibus,pagis, & locis, huius Illuſtriſsimi Dominij, quibus non ſunt permiſſa alia iura & ſtatuta,inuiolabiliter obſeruentur,executionique mandentur: ideo ex omni balia,authoritate,& poteſtate ipſis attributa,ſub calculorũ iudicio: omnimodo &c. Statuta,& decreta criminalia prædicta in vnum volumen redacta, & compillata prout ſupra, approbauerunt, ratificauerunt, & confirmauerunt,approbantq;,ratificant, & cõfirmant, & eiſdẽ pleniſsimam auctoritatem,& roboris firmitatem, contulerunt, & conferunt, ita quod modis prænarratis in tota ditione, & dominio huius

Rei-

Reipublicæ penitus obſeruentur, & demum iuſtitia criminalis iuxta eorum tenorē, regatur & adminiſtretur: Mandantes quod omnes & ſinguli Magiſtratus conſtituti, & conſtituendi in Ciuitate, & diſtrictu, à Coruo vſque ad Monacum, & à Iugo vſque ad mare, ac in alijs locis huic Dominio ſubditis, ea obſeruent, ab omnibusq; obſeruari faciant, ius & iuſtitiā ſecundum earum diſpoſitionem, continentiam, & tenorem, miniſtrando, in cauſis videlicet inchoandis die prima Ianuarij, anni venturi, 1567. & abinde inantea, in Inſula vero Chij, & alijs locis tranſmarinis eorum obſeruantia incipiat inde ad annum. Caſſantes omnia alia ſtatuta, & decreta, criminalia, exiſtentia in volumine ſtatutorum, & alia quęcūque decreta, & ſtatuta criminalia, quibus in aliquo contrarieretur præſentibus ſtatutis & decretis criminalibus nouiſsime compillatis, & illa reſpicientia materias, de quibus in præſenti volumine. Declarantes etiam, quod ſi quid inueniretur, aut per errorem, vel per obliuionem plus vel minus, vel aliter ſcriptum, quam ipſorum ſtatuentium mens fuiſſet, quod voluerunt, & volunt, quod ſcriptor ipſorum, habito colloquio, & participatione, ac iudicio dictorum ſtatuentium, aut maioris partis ipſorum, illud emendet, & corrigat, durante anno præſenti, & ſic decreuerunt, & decernunt, nihil obſtante, iubentes de præmiſsis fieri publicum proclama tenoris, de quo infra.

## DIE EA.

Per ambo præfata Illuſtriſsima Collegia, ſuſpenſa fuit proclamatio, & publicatio obſeruantiæ præmiſſorum ſtatutorum vſque ad nouum ordinem.

## MDLVIII. Die XX. Aprilis.

PRæfati Illustrissimus, & Excellentissimus D. Dux, Illustres D. Gubernatores, & M. D. Procuratores &c. Volentes quod obseruatio statutorum criminalium, de quibus in superiori decreto executioni mandetur, modis quibus decreta existunt, Mandarunt procedi ad publicationem eorum, & fieri proclama tenoris, de quo infra.



On essendo alcuna cosa più congrua nella Republica, come che quelle leggi, sotto la dispositione delle quali gli huomini hanno da essere retti, & gouernati: restino ordinate in guisa, che à ciascuno sia facile l'hauerne notitia: & per poter seruirsene à i bisogni, & per sapere come reggersi, per non contrauenire alla dispositione di quelle: & essendosi da molti anni in quà, per molte isperienze visto quanto sijno confusi li statuti, & decreti della Città, in molti & varij tempi deliberati, & molte volte trouatosi l'vn decreto all'altro parere contrario: onde, oltre la difficoltà dell'hauerne copia, si come dalla dispositione di essi, ne deuono cessare le liti, ne sono taluolta nate, & moltiplicate.

Sopra le quali cose, hauendo l'Illustriss. S. Duce, & Magnifici Sig. Gouernatori & Procuratori dell'Eccelsa Repub. di Genoua hauute più & più considerationi, doppo d'hauer conosciuta la molta necessità della reuisione, riformatione, & compilatione delli statuti, & ordini della Città, cosa non prouista da molti anni in quà: hanno commessa la somma di questo negocio à tre prestanti Cittadini, dalli quali, con molte, & lunghe fatiche, & precesse le douute diligenze, & considerationi, sono stati reuisti, reformati, & compilati in vn volume di statuti, & ordini criminali, li quali essendo inappresso stati molto ben reuisti, considerati, & essaminati da loro Signorie Illustrissime, si sono vltimamente per lo bene vniuersale, per tutta l'authorità à loro attribuita,

risolu

risoluti,& hanno deliberato in sentenza di essi: Volendo loro Illustrissime, & Magnifice Signorie, poi che non sono anco spediti i statuti Ciuili, a' quali si dà opra con tutte diligenze, che si venghi all'essecutione, & osseruanza de' Criminali: & che la Giustitia Criminale habbia in l'auenire da essere amministrata secondo la dispositione di questi nuoui statuti, & capitoli: & che contra di essi non sia ammessa alcuna dispositione di altri statuti, ò decreti sin'al præsente determinati, & deliberati: & finalmente che sijno osseruati, così nella presente Città, come in tutti li luoghi del Dominio, a' quali non sono permesse altre leggi, ò statuti. Per parte adunque di loro Illustrissime, & Magnifice Signorie si notifica ad ogni, & singola persona, la determinatione, & deliberatione di sopra, & come l'osseruanza di essi statuti Criminali, sarà messa in vso al primo di Giugno dell'anno presente del 1558. dal quale tempo innanzi, sarà secondo la dispositione di essi, circa l'auuenire amministrata la giustitia criminale, & si sono fatti stampare, à fine, che resti commodo à ciascuno d'hauerne copia. In Palazzo, il XX. d'Aprile MDLVIII.


MDLVIII. Die XXII. Aprilis.

Publica tú etiam in domi nio.

FRanciscus Cotius Cintracus, & preco publicus, retulit proclamasse, sono tubarum alta, & intelligibili voce, suprascriptum proclama, vt in ipso continetur, in locis publicis, & consuetis præsentis Ciuitatis Genuæ.

Illustrissima

## MDLXI. Die VII. Augusti.



LLustrissima Dominatio, & Magnifici Domini Procuratores Excelsæ Reipublicæ Genuen. ægrotante Illustrissimo D. Duce. Habentes notitiam decreti antiqui, quo prohibebatur omnibus Genuensibus, vel qui priuilegio Genuensi gauderent, Ciuibus Genuæ, vel in Ciues receptis, vel qui pro Genuēsibus distinguerentur, emere, vendere, seu qualitercunque acquirere, vel in alterum transferre aliquod Castrum, vel fortilicium alicuius Castri, vel loci, vel aliquam partem eius, vel iurisdictionem, homagium, aut Signoriam alicuius terræ, loci, vel Castri, qui vel quæ sint infra confinia terrarum, & locorum communis Genuæ, nec prope ad decem milliaria, nisi de licentia domini Gubernatoris, ac Concilij, sub pœna amissionis rei emptæ, vel venditæ, quę esset ipso facto effecta communis Genuæ, & valoris, vel æstimationis eiusdem, & prout in eo continetur, cui condigna relatio habeatur: Scientes præterea inter statuta criminalia nouiter condita, reperiri quodam statutū sub Rubrica de page, arcévé, aut castro intra Coruum & Monacum non emendo, posseque forte in dubium oriri, an dictum statutum nouum, & interdictum, de quo in eo, procedat etiam in venditionibus, emptionibus, & alienationibus locorū, iurisdictionum, & castrorum, quæ sunt propè confinia terrarum & locorum communis Genuæ ad milliaria decem, prout in antiquo decreto continetur: Cognoscentes etiam & certo scientes, ac memoriam tenentes, mentem suarum Illustrissimarum Dominationum non fuisse, nec esse, dictum antiquum decretum tàm publicam vtilitatem concernens, in aliquo restringere, nec derrogare: Cupientes præterea talem dubitationem tollere, ac publicæ vtilitati consulere, præcedente super his frequenti tractatu, ac maturo

ro examine, & discussioue, habitoque colloquio, & participato negocio, cum aliquibus præstantibus Ciuibus, ac iuris peritis Collegij Ciuitatis Genuæ: ideo declarando, & quatenus expediat de nouo statuendo, pro pace, quiete, bono, ac vtilitate publica, præsenti generali decreto perpetuis temporibus valituro, ex eorum certa scientia, ac omni iure, via, modo, & forma, quibus melius potuerunt, & possunt. Declarauerunt, decreuerunt, & statuerunt, ac declarant, decernunt, & statuunt, quod dictum interdictum, & statutum, locum etiam habeat quoad vendentes, ementes, & alienantes, contra formam dicti statuti, aliquod Castrum, locum, iurisdictionem, signoriam alicuius loci, vel terræ, pagum, aut arcem, vel aliquam partem, quod vel quæ, sit infra confinia terrarum, & locorum communis Genuæ, & etiam prope ad milliaria decem, prout in dicto antiquo decreto continetur; & habeat locum præsens decretum, & declaratio, quoad venditiones emptiones, & alienationes, quæ fierent à die præsentis decreti, & in futurum, & non autem ad præteritas, quę fuissent factę contra formam dicti decreti antiqui, à die publicationis dictorum statutorum Criminalium, à quo die citra, vsque in diem præsentis decreti, habeat solum locum dispositio dicti decreti noui, sub Rubrica de pago, arceve, & castro, intra Coruum, & Monacum, non emendo, de quo in libro statutorum criminalium.



Auendo l'Illustrissimo Signor Duce, Magnifici Signori Gouernatori, & Procuratori della Republica di Genoua; notitia di vno decreto antiquo, per il quale era prohibito à ciascuno Genouese, ò chi godesse del priuilegio de' Genouesi, a' Cittadini di Genoua, ò siano riceuuti in Cittadini di Genoua, ò vero tutti coloro, che fussero distretti, & comandati per Genouesi, comprare, vendere, ò sia in qual si voglia modo acquistare, & in altra persona trasportare alcuno Castello, ò sia forza di alcun Castello, ò luogo, ò vero alcuna parte di quello, giuridittione di huomini,

huomini, ò signoria di alcuna terra, luogo, ò Castello, il quale sia dentro le confini delle terre, & luoghi del cômune di Genoua, ne appresso à diece miglia, eccetto che di licenza del Signor Gouernatore, & Conciglio, sotto pena di perdere la cosa cõprata, & venduta, la quale fusse esso fatto, fatta, dal detto commune di Genoua, & del valore, ò estimatione di essa medesima cosa, & come in esso decreto si contiene, al quale si habbia degna relatione: Sapendo oltre di ciò li prefati Illustrissimi, & Magnifici Signori fra li statuti criminali nuouamente fatti, & promulgati, trouarsi vn statuto sotto la rubrica de pago, arcéve, & castro, intra Coruum, & Monacum non emendo; & poter forsi nascere dubitatione se il detto statuto nuouo, interdetto, & prohibitione, della quale si fà mentione in esso, proceda ancora nelle vendite, compre, & alienationi de' luoghi, giuridittioni, & castelli, li quali sono appresso li confini delle terre, & luoghi del commune di Genoua dieci miglia, come si contiene nel detto antico decreto: Conoscendo ancora, & sapendo certo, & hauendo memoria, la mente di loro Illustrissime Signorie non essere stata, ne essere, restringere in cosa alcuna il detto antico decreto, tanto concernente l'vtile publico, nè di derrogargli: Desiderosi oltre à ciò di torre via tal dubitatione, & prouedere all'vtilità publica; hauendo più volte sopra ciò fatto trattato, & matura essaminatione, & discussione, & hauuto ragionamento, & participato tal negocio con alcuni prestanti Cittadini, & Giurecõsulti del Collegio della Città nostra, Perciò dechiarando, & in quanto sia ispediente di nuouo statuendo per la pace, quiete, bene, & vtilità publica, con il presente generale decreto, che debba valere in perpetuo, & di loro certa scienza, & per ogni ragione, via, modo, & forma che meglio hanno potuto, & possono, hanno dechiarato, decretato, & statuito, & dichiarano, decretano, & statuiscono, che il detto interdetto, & statuto habbi ancor luogo, quanto alli vendenti, compranti, & alienanti contra la forma del detto statuto, alcun castello, luogo, giuridittione, signoria di alcun luogo, ò terra, borgo, ò rocca, ò alcuna parte, il quale, ò la quale sia dentro li confini delle ter-

re, ò luoghi del commune di Genoua, & anco appresso à miglia dieci, come nel detto antico decreto si contiene.

Dichiarando, che il presente decreto, & dichiaratione, habbia luogo, quanto alle vendite, compre, & alienationi, le quali fussero fatte, dal di del presente decreto, & per l'auenire, & nõ quanto alle passate, le quali fussero state fatte contra la forma del detto decreto antico, dal di della publicatione delli detti statuti criminali, dal qual giorno in quà infino al giorno del presente decreto, habbia solo luogo la dispositione del detto decreto, ò sia statuto nuouo, sotto la Rubrica de pago, arcéve, & castro intra Coruum & Monacum non emendo, & il quale è nel libro delli statuti criminali. Di Palazzo alli VII. d'Agosto 1561.

Die VIII. Augusti.

PVblicatum fuit suprascriptum proclama per me Ioannem Baptistam Solarium Cintracum, sono tubarum voce preconis, vt moris est.

MDLXII. Die VIII. Augusti.



ILlustrissimus Dominus Dux, Magnifici Domini Gubernatores, & Procuratores Excelsæ Reipublicæ Genuen. Cum statutum criminale de curatoribus constituendis minoribus delinquentibus, videatur subobscurum, & non nihil dubitationis habere, variæque interpretetur, & intelligatur: Volentes id melius declarare, ne posthac vertatur in dubium sensus eiusdem, & quomodo intelligi debeat omni modo, &c. Se se ad calculos absoluendo, decreuerunt, & declarauerunt, decernunt, & declarant, statutum ipsum, in hunc modum debere intelli-

intelligi, videlicet, curatorem esse dandum ipsis minoribus delinquentibus, quatenus se constituant tantum: non autem absentibus,& contumacibus: Respectu vero minorum absentium,& qui non se constituent, quod procedatur contra eos, tanquam contra maiores, nullo eisdem curatore constituto.

FINIS.

# INDEX TITVLORVM
## CRIMINALIVM
LIBRI PRIMI.
## DE MODO PROCEDENDI.



## LIBER SECVNDVS.



De

De

FINIS.



# REGISTRVM.

☞ A B C D E F G H I K L.

Omnes ſunt Terniones, præter ☞ qui eſt Duernio.

GENVAE,
EX OFFICINA BELLONIANA.
MDLXXIII.

